

außer Zeit und Raum setzt, der unendlich viele Kombinationen in der Anordnung und in der Entwicklung der Dinge und der Welt als widerspruchlos erkennt und ahnt, daß eine unendliche Aufeinanderfolge selbst der Dinge, der Naturen, der Wesentlichen, nicht unmöglich sei. Damit versetzt sich der Geist in das Reich der potentiell unendlichen Aufeinanderfolge der Fälle.

Das alles liegt, wie gesagt, beschlossen im Schoße der Gottheit die in sich hinieden uns stets ein Rätsel bleiben wird. In diesem Sinne, das geben wir, ist hinieden die Wahrheit, hinieden für eins mit sieben Siegeln verschlossenes Buch, in diesem Sinne ist der Agnostizismus Wahrheit. Aber hat diese Annahme etwas absurdes? Gewiß nicht! Denn selbst bezüglich der Erkenntnis der geschaffenen Dinge ist der Agnostizismus in gewissem Sinne Wahrheit. Der französische Gelehrte Claude Bernard macht diesbezüglich die sehr tiefe Bemerkung, daß, um gründlich etwas zu wissen, man alles wissen müßte, weil alle Bedingungen der Erscheinungen zurückgehen auf einen gemeinsamen Boden, in dem sie alle verkettet und verankert sind. In diesem Sinne ist es gewiß, daß wir nichts vollständig, bis in seine ganze Tiefe hinein, erkennen!

Eine *cognitio comprehensiva* auch der Geschöpfe fehlt uns in diesem Leben. Auch hier gilt das Wort des Apostels, daß wir hinieden nur wie in einem Spiegel erkennen, daß all unser Wissen Bruchstück ist. Wir ergreifen nur einzelne Fäden eines unendlich reichen Gewebes, und selbst diese wenigen Fäden erkennen wir nicht anders, als wie beim Stammeln und Stottern von der schönen Gabe der Rede gesprochen werden kann. Deshalb muß der Mathematiker eingestehen, daß er das Dreieck mit seinen Gesetzen nicht vollständig, sondern nur höchst unvollständig erkennt, der Astronom, daß er mit den Gesetzen der Anziehung und Abstoßung keine allseitige Erklärung gibt, der Philosoph, daß alle stringent bewiesenen Sätze der Metaphysik nicht in die Tiefe gehen. Denn es ist wahr, was die Nachfolge Christi so schön sagt: *Ex uno Verbo omnia, et unum loquuntur omnia, et hoc est principium, quod et loquitur nobis.* (1. I. c. III.)

## Abt Ludolfs von Sagan Traktat ›Soliloquium scismaticis.‹

Von Dr. Franz Bliemetzrieder, St. Rein.

(Schluß zu Heft II. 1905, S. 226—238.)

*Ex hiis ergo infero corolarium 3<sup>m</sup>.*

*Cor. 3<sup>m</sup>. Gregorius noster non excusatur a presumpta pertinacia vel presumpta heresi ex eo quod quidam adherentes sibi*

eum iustificant et excusant. Que enim piarum mencium et recte sapiencium eum in praevaricacionem iuramentorum suorum et in actu non cedendi excusare poterit, qui rem salutiferam et necessariam cunctis desideratam gentibus tam sollempniter intrans, ut in omnem terram sacramenti sui sonus exiret, eam post multiplicem requisicionem hominum magnorum et pusillorum impudenter transgreditur, nec consciencie sue nec fame consulens aut honori, insuper et peccatum suum tamquam Sodoma defendens et predicans dicit illud esse dampnatum et dyabolicum, quod iam sacris insertum literis est ab ipsa Romana ecclesia phas et licitum declaratum? Omnes peccatores terrae Psalmista reputat prevaricatores esse et nos hunc peccatorem et transgressorem sui iuramenti eciam in heresim declinantis tam notorium et publicum adhuc habebimus a presumpta saltem pertinacia et malicia excusatum? Forsitan dicemus: „Ludens fecit“, cum tamen noxius ludus in culpa fuerit, de presump. c. 1? Certe desipimus, si sic sapimus, ceci sumus et lumen veritatis in nobis non est, veritatis illius, que nos illuminat dicens: Is status uniuscuiusque creditur, in quo deprehenditur, donec contrarium doceatur, de sen. ex. Si iudex l. VI.<sup>1)</sup> Inde et vulgo dicitur, qualem te invenio, talem te iudico. Vulgata autem et communis assertio veritate non caret, de pe. et re. in cle. 2.<sup>2)</sup>

Hiis sic premissis venio ad solucionem questionis et dico. Solucio. Gregorius iuxta ea quae premissa sunt, est hereticus, ad minus presumptus et pro tali usque ad declaracionem concilii generalis habendus.

Ad argumenta in oppositum respondetur.

Ad 1<sup>m</sup>. Paratus est corrigi; igitur non est hereticus. Dico quod consequentia non <sup>3)</sup> valet nec antecedens est verum, sed si quis debito tempore paratus est corrigi, bene ab heresi excusatur secundum ea, que superius in notabilibus premissa sunt et sic intelliguntur canones pro illa parte introducti; secus autem, si nimis diu cum correccione expectavit; tempore enim accepto exaudi vi te et mora sua cuilibet est nociva, de re. iur. Mora lib. VI.<sup>4)</sup>

Eciam quod dicitur Gregorium esse paratum corrigi, negatur omnino, nec valet sibi nec iuvat eum, quod de hoc literas dirigit. Facta enim sua scripture sue preponderant, ut magis de factis debet [sic] presumi imparatus, quam ex scripto paratus. Nam cum correccio sua sit renunciatio sua, quomodo vel fuit vel adhuc est paratus corrigi, qui potest et potuit per se, per procuratorem suum, aut per literas suas cessisse et cedere et nec [sic] cessit aut cedit dominis Cardinalibus semper paratis cessionem eius

<sup>1)</sup> c. 12, de sentent. excommun., 5, 11 in VI.

<sup>2)</sup> c. 2 Abusionibus, de poenitent. et remission., 5, 9 in Clement.

<sup>3)</sup> Korrektur einer andern Hand; denn im ersten Text fehlt die Partikel.

<sup>4)</sup> Reg. 25, reg. iur. in VI.

recipere et acceptare? Si enim teneris michi centum solvere et potes et ego paratus sum accipere, quomodo paratus ad solvendum dici poteris, si non effectualiter solvis? Facit c. 1. de eo qui mittitur.<sup>1)</sup> Porro etsi Gregorius pronus esset cedere ad diffinitionem universalis concilii per ambo collegia Cardinalium congregandi, per hoc liber et immunis non esset a nota pravitatis heretice. Quid enim in tam manifesta re vult iudicium et sententiam expectare? Est ideo<sup>2)</sup> contra laudabile desiderium lites execrancium, contra quod si quis facit, ipse cum suis adherentibus eciam conspirator et coniurator contra Romanam ecclesiam dici debet, de ver. sig. Constitutionem li. VI.<sup>3)</sup>

Ad 2<sup>m</sup>. Dic quod Gregorius iam deprehensus est per notorietatem facti, quod nulla potest tergiversacione celari; in operibus enim manuum suarum comprehensus est peccator, Ps. 9,<sup>4)</sup> de co. cler. mu. c. ultimo.<sup>5)</sup>

Ad 3<sup>m</sup>. Dic quod synodus episcoporum invenit Marcellinum non extunc incipientem penitere sed diu ante penituisse et ergo a pertinacia fuit excusatus, penam tamen quam meruit per ydolatriam [sic] absque pertinacia synodus ei non imposuit, sed hoc sibi ipsi reliquit. Unde et in vita eius legitur, quod quando venerant ad eum populi ipse iam fuit penitens. Potest eciam dici, quod licet episcopi eum non deposuerunt in concilio tamquam hereticum verum, habuerunt tamen eum prius pro presunto et subtraxerunt se ab eo usque ad concilium; licet enim ante concilium fuerit penitens, tamen de hoc non constabat nisi in concilio. Igitur etc. Ad glo[ssam] in c. Si papa dic, quod vera est. Loquitur enim de devio a fide, non de heretico; ille enim ex sola deviacione non est hereticus, nisi sit incorrigibilis et pertinax; heresis autem, que in ipsa pertinacia perficitur et completur, pertinaciam presupponit. Et si alicubi invenitur, papam propter heresim non deponi, nisi fuerit incorrigibilis, intellige propter heresim, id est, propter errorem, qui heresim consuevit inducere. Sunt tamen forte, qui dicunt, specialem esse in papa, ut propter pertinaciam in errore quantumcumque longam non deponatur, dummodo ante deprehensionem iudicalem se emendet. Quod quamvis verum non appareat, tamen melius est michi alieno intellectui cedere, quam proprie inniti prudentie et contencionibus deservire. Cum hoc enim bene stat, quod licet pro vero heretico secundum illos non debeat haberi ante condemnationem vel de-

<sup>1)</sup> c. Constitutis, X, de eo qui mittitur in possess. causa rei servand., 2, 15. — »Qui mittitur« ist durch die nachbessernde Hand beigelegt.

<sup>2)</sup> Korrektur.

<sup>3)</sup> c. 2, de verbor. significat., 5, 11 in VI.

<sup>4)</sup> Ps. 9, 17b.

<sup>5)</sup> c. Quaesitum, X, de cohabit. clericor., 3, 2.

prehensionem finalem, pro presunto tamen sepissime debeat et possit haberi.

Ad 4<sup>m</sup>. Dico, quod ex eo solo, quod quis a multis hereticus reputatur, non est iudicandus hereticus presumptus. Possunt enim ceci esse et tales, qui discernere non possunt, qui forte ex levi suspicione aliqualem pro tali habent, sicut fuit de Symacho. Fuit enim solummodo suspectus et accusatus de heresi, non autem aliquem publicum errorem predicavit vel in publico quid fecit vel obmisit, unde deberet tamquam ex fructibus exterioribus interius agnosci. Secus est hic de Gregorio nostro, ut patet. Igitur etc.

Ad 5<sup>m</sup>. Admitto consequenciam totam, quod videlicet ita fieri debet. Symachus autem non legitur apud bonos et graves diffamatus, sed solummodo, ut iam dixi, accusatus et aliquibus ex levi suspectus.

Vel dic ad ista ambo argumenta ultima. Symachus forte fuit apud bonos et graves de heresi diffamatus vel forte quid publicum ostendit, ex quo presumptus hereticus haberi debuit et propterea clerici sui quidam voluerunt eum ante sentenciam omnino deserere et forsan Laurencio, qui, ut in cronicis legitur, fuit suus coelectus, inseparabiliter adherere vel alium forsan pro Symacho eligere et hoc eis non licuit; secus si se ab eo abstraxissent ad tempus, eo videlicet animo, ut sibi obedienciam denegare vellent, quousque se purgaret in concilio vel per concilium absolveretur a crimine.

Quinto queritur, utrum papa subiaceat legibus, que de heresi loquuntur, vel in casu, in quo iudicandus est, subiaceat illis legibus, que formam, modum et ordinem constituunt, quo quis iudicetur.

Et arguitur quod non. [121 r<sup>o</sup>.]

Primo. Papa est super leges et ipse leges ab eo vigorem suum accipiunt, de elec. Significasti, et c. Innotuit,<sup>1)</sup> cum multis concor[dantibus]. Igitur etc.

2<sup>o</sup>. Si papa subiaceret hiis legibus, quare non subiaceret et aliis, cum eadem videatur ratio, et sic numquam posset canones revocare vel contra eos dispensare, quod notorie est falsum. Igitur etc.

3<sup>o</sup>. Ubi lex non distiguit [sic], nec nos distiguere debemus, ne malam interpretacionem contra mentem legislatoris faciamus, de deci. Ad audienciam;<sup>2)</sup> sed iura, quae loquuntur et dicunt papam non subici legibus, indifferenter et indistincte loquuntur. Ergo sic accipiantur.

<sup>1)</sup> c. 4 und 20, X, 1, 6.

<sup>2)</sup> c. 12, X, de decimis, 3, 30.

In oppositum. Arguitur primo sic.

1<sup>o</sup>. In causa heresis papa iudicandus est, 40. di. Si papa. Vel ergo iudicandus est secundum leges vel contra vel sine legibus. Non sine legibus, quia secundum b. Gregorium in Mor[alibus] super Job tali modo iudicantur, qui nunquam sub lege civili fuerunt secundum illud: Qui sine lege peccaverunt, sine lege iudicabuntur, ad Ro. 2.<sup>1)</sup> Gregorius autem sub lege peccavit, quia constitutus sub lege Ecclesie et ewangelii extra illa se fecit. Non igitur sine lege iudicabitur. Confirmatur hoc. Nam si sine lege iudicari deberet, sequeretur, quod a quocumque vel qualitar-cumque iudicaretur, bene iudicatus esset, quod est contra c. Nonne, 8. q. 4.<sup>2)</sup> Non eciam contra leges iudicandus est, ne cum Paulo dicere habeat iudici suo: Percutiet te Deus, paries dealbate, quia sedens iudicare me secundum legem contra legem iubes me percuti,<sup>3)</sup> ac 23 [sic] 23.<sup>4)</sup> q. 1. Paratus. Confirmatur hoc. Propterea enim canones et leges eduntur, ut custodiantur ab omnibus et nemo suo sensu utatur, sed utatur ipsis canonibus in iudiciis et in scolis, ut patet in c. 1 de consti.,<sup>5)</sup> et in prohemio decretalium VI. et clementinarum. Sequitur ergo, quod secundum leges debet iudicari. Secundum quas leges autem conveniencius et melius, quam secundum illas que pertinenter faciunt ad materiam, de qua litigatur et contenditur et que docent modum, procedendi in ea? Impertinentes enim posiciones reicimus et impertinentes allegaciones pro dampnosis habemus, de concess. pre. et ec. non va. Ex parte.<sup>6)</sup> Igitur etc.

2. Si papa non ligatur canonibus loquentibus de heresi, sequitur, quod nec ligetur illo canone Si papa 40 di., ergo nec propter heresim posset deponi vel saltem canonem illum revocare posset, quod est contra ewangelium, Matth. 16,<sup>7)</sup> ubi Christus non super Petrum, sed super petram edificat ecclesiam suam ad ostendendum, quod si Petri vel successoris sui persona a soliditate fidei omnino et animo indurato subtrahitur, fundamentum sue domus esse amplius demeretur.

3. Cum quis obligatus est ad finem, obligatus est ad omnia, sine quibus ad finem illum non pervenitur, argumento glo[ssae] in simili de iu. iu. Etsi Christus,<sup>8)</sup> super verbo: Sequitur. Acces-

---

<sup>1)</sup> Rom., 2, 12. Die Stelle ist Moral. 1, 26, Nr. 50 (ed. Maur. 1, Parisiis 1705, c. 836B).

<sup>2)</sup> c. 1.

<sup>3)</sup> c. Act. apost., 23, 3.

<sup>4)</sup> c. 2. Die eine Ziffer ist natürlich zu streichen.

<sup>5)</sup> c. Canonum, X, de constitutionibus, 1, 2.

<sup>6)</sup> c. 10, X, de concess. praeb. et eccles. non vacantis, 3, 8.

<sup>7)</sup> Matth. 16, 18.

<sup>8)</sup> c. 26, X, de iureiur., 2, 24.

sorium enim naturam sequitur sui principalis, de re. iur. Accessorium li VI.<sup>1)</sup> Sed papa obligatus est suscipere in se iudicium et sententiam in causa heresis. Igitur obligatus est et ad omnia iura, statuta et leges, per que ad illum finem pervenitur.

4<sup>m</sup>. [sic] Papa in iudicio conventus leges loquentes de ordine iudiciario observando sumit pro se, 8. q. 4. Nonne; ergo et contra se eas recipere tenetur, 3. q. 8. Cuius in agendo,<sup>2)</sup> de testi. Presencium<sup>3)</sup> cum concor[dantibus]. Igitur etc.

Solucio. Dico papam legibus hiis ligari,

Ad argumenta in oppositum respondetur.

Ad 1. Papa est super leges, dic verum est, sed non in causa fidei, praesertim contra seipsum mota. Ibi enim tenetur pati legem, quam per se tulit, ymmo Christus per eum.

Ad 2<sup>m</sup>. Dic, quod non est simile de aliis legibus loquentibus de aliis rebus mere voluntariis ad voluntatem ipsius principis et de hiis, que fundamentum fidei attingunt. Ille enim ad beneplacitum principis pendent. Non ita est de aliis, quo vel de fide vel statu universalis Ecclesie loquuntur. Vel dic, si in aliis quedam reprehensibilia sunt, in papa divino examini reservantur, 3. [sic] q. 3. Nemo<sup>4)</sup> et c. sequenti; in fide autem secus est, quia nec papa finaliter esset nec caput fidelium, si a fide pertinaciter deviaret.

Ad 3<sup>m</sup>. Dic, quod, quamvis lege non distigente nos non debeamus distiguere, verba tamen legis generalia canonicè interpretari debemus, ne in generali concessione ea reputemus esse concessa, que legislator non esset verisimiliter in specie concessurus, de re. iu. In generali li. VI.<sup>5)</sup> Jam enim mens legislatoris distinxisse videtur, quamvis verba non. Vel dic. Indistincta et generalia verba legis indistincte et generaliter debemus accipere, nisi per leges alias de distincione appareat; tunc enim expedit iura iuribus concordare, de elec. Cum expediat li. VI.<sup>6)</sup>

Sexto queritur, an papa hereticus sit ipso iure papatus vel potestatis sue iurisdictionalis [sic] amministrazione privatus.

Non dico depositus, sed amministrazione privatus, nec dico amministrazione potestatis sacramentalis, sed iurisdictionalis privatus. Et ne fiat equivocacio in termino, illum hoc in loco intelligo amministrazione privatum, qui sine peccato amministrare non potest et cum hoc si fecerit facta eius non valent. Et arguitur, quod non.

1) Reg. 42.

2) c. 1 Accusatores, § 2.

3) c. 31, X, de testib. et attest., 2, 20.

4) Gemeint ist c. 13, 14 aliorum, C. 9, q. 3.

5) Reg. 81.

6) c. 29, de elect., 1, 6 in VI.

1<sup>o</sup>. Si hoc esset ita, hoc esset maxime propterea, quia extra Ecclesiam est, tamquam ab ea per sententiam eiectus. Sed ecce omnes excommunicati tales sunt; excommunicacio enim separat a congregacione fidelium, 3. q. 4. Ingiltrudam;<sup>1)</sup> et tamen illi ita privati non sunt, quia licet amministrare non debeant, processus tamen eorum et facta sepiissime valent et tenent, ut notatur de re iudi. Ad probandum,<sup>2)</sup> de sen. ex. Si vere,<sup>3)</sup> de do. et contu. Veritatis.<sup>4)</sup> Igitur etc.

2<sup>o</sup>. Si papa hereticus esset potestatis illius amministrazione privatus, hoc videtur maxime esse ex eo, quod infideles nullam habeant iuridiccionem in fideles, 24. q. 1 in § Hiis auctoritatibus ubi „Potest autem“,<sup>5)</sup> et de Jude. Cum sit, et c. Ex speciali.<sup>6)</sup> Sed hoc est contra b. Petrum apostolum, qui paganis regibus christianos vult esse subiectos innuens per hoc illos habere iuridiccionem in istos, sicut legitur: „Subditi estote omni humane creature sive regi tamquam precellenti“ etc. 1 Pe. 2,<sup>7)</sup> de ma. et obe. Solite.<sup>8)</sup> Igitur etc. Non enim est dubium, quin tunc reges infideles christianis, quibus hoc scribitur, dominabantur.

3. Si hoc esset, ita maxime esset ex eo, quia cum sit melius viam Domini non agnoscere, quam ea agnita retroire, 2. Pe. 2.,<sup>9)</sup> de apo. Quidam,<sup>10)</sup> videtur hereticus peyoris condicionis esse, quam paganus, et ideo eciam si pagani in christianos aliquam iuridiccionem haberent, heretici tamen nullam. Sed ecce Julianus fuit hereticus et a fide pertinax et induratus apostata et tamen christiani milites in signum iuridiccionis sue obediverunt ei in licitis et honestis, 11. q. 3. Julianus.<sup>11)</sup> Ideoque et glo[ssa] 24. q. 1 in § Sed illud,<sup>12)</sup> dicit quod licet scismaticus vel hereticus iuridiccionem non habeat in credentes quoad excommunicacionem, suspensionem et similia, habet tamen in criminalibus et civilibus. [f. 121 v<sup>o</sup>.]

4<sup>o</sup>. Si non haberet amministrazione hereticus, esset forsitan ex eo, quia cum sit de baptizatorum numero, si iuridiccionem haberet, eciam cohercionem spiritualem haberet, ne delusoria esset iuridiccio sua, ar[umento] c. Ex literis de of. de.<sup>13)</sup> Sed hoc

<sup>1)</sup> c. 12.

<sup>2)</sup> c. 24, X, de sentent. et re iudicata, 2, 27.

<sup>3)</sup> c. 34, X, de sent. excommun., 5, 39.

<sup>4)</sup> c. 8, X, de dolo et contumacia, 2, 14.

<sup>5)</sup> Dict. grat. post c. 37.

<sup>6)</sup> c. 16 und 18, X, de Judaeis, 5, 6.

<sup>7)</sup> 1. Petr. 2, 12.

<sup>8)</sup> c. 6, X, de maior. et oboed., 1, 33.

<sup>9)</sup> 2 Petr. 2, 21.

<sup>10)</sup> c. 4, X, de apostatis, 5, 9.

<sup>11)</sup> c. 94.

<sup>12)</sup> Dict. grat. post c. 39.

<sup>13)</sup> c. 29, X, de off. et potest. iud. deleg., 1, 29.

videmus fallere in abbatisa, in iudice seculari et in multis aliis, que iuridiccionem sine tali coercione habent, de ma. et obe. Dilecta,<sup>1)</sup> de sen. ex. Si iudex lib. VI.,<sup>2)</sup> et per ea que notantur in c. Pastoralis in glo[ssa] de of or.<sup>3)</sup> Layci enim claves non habent. Igitur etc.

5. Si papa hereticus esset ab huiusmodi amministrazione suspensus, posset hoc ex eo videri, quia cum non tam papa quam Deus ipse suam regat ecclesiam, 11. q. 3. Nemo contempnat,<sup>4)</sup> et ille non sit inhabitator hominis ab ecclesiastica unitate divisi, 24. q. 1. Audivimus,<sup>5)</sup> per eum nequaquam regeret populum suum. Sed si hoc esset ita, sequeretur, quod quocumque peccato mortali papa foret obnoxius, statim esset a papatu suspensus, cum nec proprie peccatores inhabitet. Quod tamen est notorie falsum, 40. di. Si papa, 3. q. 7 in fi.

6. Hereticus interim quod catholicus fuit iuridiccionem in catholicos habuit et illi fuerunt astricti ad obedienciam eius, sed per supervenientem excommunicacionem vinculum precedens non solvitur 11. q. 3. Quoniam multos,<sup>6)</sup> de sen. ex. Inter alia. 7) Igitur adhuc ei obedire tenentur et auctoritas eius durat.

7. Electus in papam, eciam si publicus hereticus esset et iam de heresi condempnatus, adhuc sine excepcone aliqua debet ad papatum admitti et ab omnibus pro papa haberi, de elec. Licet.<sup>8)</sup> Ergo si hereticus pro papa debet haberi, quomodo amministrazione papatus privatus est?

8. Si papa vel episcopus alter hereticus privatus esset eo ipso amministrazione iuridiccionis sue, sequeretur, quod nec alios hereticos excommunicare vel alias punire posset. Sed hoc videtur contra § His auctoritatibus in fine 24. q. 1, et etiam contra c. Presidentes de here. li. VI.<sup>9)</sup> Igitur etc. Dyabolus enim, ut in prefato § dicitur auctoritatem habet in pectore [sic] suo. Quare igitur non anthichristus vel hereticus in heretico, consorte suo?

9. Si esset hereticus privatus iuridiccionibus, quare et non sacramentalibus, cum eadem videatur ratio? Quod tamen non est verum, quia sic nec conficeret corpus Domini, contra glo[ssam] 24. q. 1. Audivimus super verbo „Non valet.“

10. Si a solis iuridiccionibus suspensus esset, sequeretur, quod nec aliquem ordinaret in clericum, nec in episcopum con-

1) c. 12, X, 1, 33.

2) c. 12, de sentent. excommun., 5, 11 in VI.

3) c. 11, X, de off. iud. ord., 1, 31.

4) c. 31.

5) c. 4; vgl. das Dict. grat. ante c. 5.

6) c. 103.

7) c. 31, X, 5, 39.

8) c. 6, X, 1, 6.

9) c. 6, de haeret., 5, 2 in VI.

secraret, vel characterem eis imprimeret, sed eos ad Ecclesiam revertentes reordinari et reconsecrari oporteret. Quod tamen est falsum, 24. q. 1 in § Hiis auctoritatibus. Probatur autem consequentia, quod hoc videlicet sequeretur. Consecrare enim et ordinare pertinet ad auctoritatem archiepiscopalem et episcopalem. Episcopatus enim vel saltem archiepiscopatus non est ordo secundum theologos, sed quedam auctoritas vel iuridicchio super alios ordines vel ordinatos, ut notatur in prohemio VI. Igitur etc. Confirmatur etiam hoc, videlicet quod consecrare et ordinare spectet ad episcopos et archiepiscopos ratione iuridiccionis et non ordinis, quia statim post confirmationem eorum ante eorum consecrationem hec aliis episcopis committere possunt, de elec. Nosti, et c. Suffraganeis.<sup>1)</sup> Igitur etc.

11. Si Gregorius noster vel alter papa esset privatus administratione sua propter heresim, frustra iam ab universali Ecclesia ad futurum concilium vocaretur, ut ibi cederet et cedendo seipsum privaret. Si enim iam privatus est, privatione nova non indiget.

12. Beatus Petrus apostolus a fide cecidit Christum negando, Marcellinus thura ydolis ymmolando, et tamen ambo privati non sunt papatu suo, ut patet de beato Petro in ewangeliiis per totum et de beato Marcellino, VI. di. Nunc autem.<sup>2)</sup> Igitur etc.

In oppositum arguitur primo sic.

Ubi non est sana fides, ibi secundum beatum Augustinum nulla potest esse iusticia, 24. q. 1. Ubi sana.<sup>3)</sup> Igitur nec aliqua iuridicchio nec iudicium, ar[umento] c. Forus de ver. sig.<sup>4)</sup> Iusticia enim, ut ibi dicitur, est quando iudicium vel causa finitur.

2. In corpore Christi mistico, quod est Ecclesia, nullus est membrum vel Christi vel corporis eius nisi per fidem, de pres. non bap. Veniens.<sup>5)</sup> Iustus enim ex fide vivit, ad Ro. 1.,<sup>6)</sup> de sa. unc. c. unico.<sup>7)</sup> Ergo et nullus est caput in ea, nisi per fidem. Caput etenim est unum de membris. Ergo et nullus est papa nisi per fidem, quia ipse est caput fidelium, iuxta illud: Tu vocaberis Cephas, Johannis 1.<sup>8)</sup> Ergo per heresim, qua fidem pertinaciter dimittit, desinit esse membrum Christi et caput in corpore Christi, ergo desinit esse et papa et iudex fidelium. Ergo et facta sua

<sup>1)</sup> c. 9 und 11, X, 1, 6.

<sup>2)</sup> c. 7.

<sup>3)</sup> c. 29.

<sup>4)</sup> c. 10, X, de verbor. signif., 5, 40.

<sup>5)</sup> c. 3, X, de presbyt. non baptiz., 3, 42.

<sup>6)</sup> Rom., 1, 17.

<sup>7)</sup> c. Cum venisset, X, de sacra unct., 1, 15.

<sup>8)</sup> Joh. 1, 42.

iudiccionalia [sic] nichil valent. Talia enim a non suo iudice facta non tenent, de iudi. Ac [sic] si clerici <sup>1)</sup> Igitur etc.

3. Non homo, sed Deus regit Ecclesiam, 11. q. 3. Nemo contempnat. In quo ergo Deus non regnat, per eum nequaquam Ecclesiam suam regit. Sed Deus, qui unus est, non regnat aut inhabitat per auctoritatem suam in hiis, qui divisi sunt, ut patet 24. q. 1 quasi per totum. Igitur etc.

4. Quod ea, que heretici vel scismatici agunt in Ecclesia que iuridiccionis sunt, nulla sint ipso iure, probatur arguendo de singulis. Si excommunicant, suspendunt, deponunt, beneficia, conferunt, ligant aut solvunt, peccata dimittunt aut alienant bona Ecclesie, totum est nullum et irritum ipso iure, 24. q. 1. Audivimus, Ait Celestinus, <sup>2)</sup> et in c. Aperte, <sup>3)</sup> 12. q. 2. Alienacionas, <sup>4)</sup> de here. Excommunicatus, <sup>5)</sup> de seis. c. 1. <sup>6)</sup> Igitur etc.

5. Quicumque privat seipsum potestate suscepta privatus est, sicut qui interficit seipsum interfectus est. Hereticus autem privat seipsum et rei iam dampnate involvit, 24. q. 1. c. 1. <sup>7)</sup> Voluntarie enim abit et tanquam animalis homo ab illo corpore uno, in quo solo Deus est et Spiritus sanctus inhabitat, se segregat, Jude 2 [sic]. <sup>8)</sup> Igitur etc.

6. A quocumque possunt propria auctoritate et sine sententia hominis subiecti discedere, privatus est amministrazione vel suspensus ab illa ipso iure. Sed a Gregorio hoc possunt facere, ut patebit in una sequencium questionum. <sup>9)</sup> Igitur etc.

7. Nullus potest archam regere, nisi fuerit in ea, sicut Noe, qui fuit in illa firmiter inclusus; igitur nec Ecclesiam, nisi fuerit in ea et satis firme. Archa namque illa Ecclesiam representat, 1. Pe. 3, <sup>10)</sup> 24. q. 1. Quoniam vetus. <sup>11)</sup> Heretici autem extra illam sunt. Igitur etc.

8. Cum inferior nullam potestatem in superiorem habeat, de ma. et obe. Cum inferior, <sup>12)</sup> nec par in parem, de elec. Innotuit, <sup>13)</sup> omnis autem catholicus heretico et infideli maior est, cohereticus autem et coninfidelis sibi par est, 24. q. 1. Audivimus in fine, gitur in nullum istorum auctoritatem habet.

1) c. 4. Etsi clerici, X, de iudiciis, 2, 1.

2) ead. c. 35.

3) ead. c. 36.

4) c. 37.

5) c. 13, X, 5, 7.

6) c. Quod, X, 5, 8.

7) c. Acacius.

8) Vielleicht ist gemeint Epist. Jud. v. 19.

9) In der 11 Quästion.

10) 1 Petr. 3, 20 f.

11) Sic. Gemeint dürfte sein c. 25 Quoniam vetusto.

12) c. 16, X, 1, 34.

13) c. 20, X, 1, 6.

[122 r<sup>o</sup>] 9. Si papa vel episcopus hereticus aliquam amministrazioneem iuridiccionis haberet in suos, hoc esset maxime, quia quamvis non posset eos excommunicare vel suspendere, posset tamen eis licita et honesta precipere. Sed hoc stare non potest. Omnis enim ad censuram ecclesiasticam dispositus habens territorium et merum imperium, si habet iuridiccionem precipiendi suis, habet et iuridiccionem excommunicandi eos, de of. de. Ex literis;<sup>1)</sup> faciunt ea que notantur de fo. compe. Cum contingat.<sup>2)</sup> Ergo si papa vel episcopus hereticus haberet precipere, habere et excommunicare. Ipsi enim capaces sunt censuræ ecclesiasticæ et territorium et merum imperium habent, ut notatur in preallegato c[apite]. Sed quia non<sup>3)</sup> habent excommunicare vel suspendere, igitur per argumentum ex opposito consequentis, [sequitur] quod nec quidquam imperare possunt.

10. Scribit Innocencius, de rescrip. Cum contingat,<sup>4)</sup> quod si contendunt inter se invicem iudices primi et secundi super iuridiccione eorum, qui videlicet ex ipsis iudices<sup>5)</sup> sint, et hoc probabiliter dubitatur, ex quo iuxta formam c. Pastoralis e. ty.<sup>6)</sup> debent de hoc cognoscere alii et non ipsi, si interim aliqui eorum ferrent sententiam in ordinarium, qui tali probabili dubio durante non vult eorum mandata recipere, esset sententia nulla ipso iure, quia non est subditus eorum, nec turbat iuridiccionem eorum, cum paratus sit illos pro iudicibus habere, qui fuerint per arbitros, de quibus in c. Pastoralis, iudices pronunciati. Si ergo sententia iudicum probabiliter contendencium, eciam qui nondum ceciderunt in heresim, est nulla, quanto magis istorum duorum, Gregorii et Petri de Luna. Et quamvis ordinarius primo forsitan obedivit primis iudicibus, antequam scilicet aliquid sciverit de secundis, postquam tamen ei hoc postmodum innotuit, recedere sibi licuit, ut in eodem c[apite] Cum contingat. Sic et hic. Quamvis multi obediverunt Gregorio et predecessoribus suis, quia tamen quia [sic] nondum tam probabiliter dubitaverunt sicut nunc, cum ambo collegia utriusque obediencie cum multo clero et populo ab utrisque recedant, sequitur, quod et nunc, si ab eis discesserint, sententiæ in eos late nichil sint et precepta eorum nichil ligent. Nec valet, si dicitur in c. Pastoralis, et c. Cum contingat hoc esse ex eo, quia delegatus non habet iuridiccionem nisi in expressos in rescripto et in eos, qui eum turbant. Nec enim ego nec alter tur-

<sup>1)</sup> c. 29, X, 1, 29.

<sup>2)</sup> c. 13, X, de fors compet., 2, 2.

<sup>3)</sup> Die Partikel »non« ist durch die nachbessernde Hand als Korrektur darübergeschrieben.

<sup>4)</sup> c. 24, X, 1, 3. Innocenz IV., Appar. in 5 ll. decretal., ed. Lugd. 175 fol. 14.

<sup>5)</sup> Korrigiert durch dieselbe Hand aus »indiccionem«.

<sup>6)</sup> c. 14.

bamus in iuridiccione sua istos duos pontifices, cum parati simus illum in papam recipere, qui a generali concilio fuerit papa diffinitus, nec in aliquo eorum rescripto sumus nominatim expressi, in quo iudex ille supremus iuridiccionem eis dederit super me vel super te. Ostendant hoc rescriptum, si habent; si non ostenditur privilegium, quod non ostenditur non esse censetur. Inde est, quod allegans privilegium ostendere debet ipsum, de privileg. Cum persone li. VI.<sup>1)</sup>

Solucio. Papa hereticus amministrazione de qua queritur, est privatus:

Ad argumenta in oppositum.

Ad primum. Dic, quod secus est de excommunicato simpliciter et secus de excommunicato et heretico. Omnis enim hereticus excommunicatus est et non e converso. Ille extra Ecclesiam est, quia inde proiectus est, iste ab ea sponte recessit. Ille superficialiter extra eam est, iste fundamentaliter. Ille adhuc christianus ex fide dicitur, iste amisso christianitatis nomine hereticus nominatur. Illius facta in multis approbat, huius dampnat. Illius facta dampnantur, quia excommunicatus est, huius autem antequam excommunicatus esset, dampnata sunt.

Ad 2<sup>m</sup>. Respondeo. Aliud est de paganis vel iudeis, aliud de hereticis. Vel igitur loquimur de infideli numquam baptizato vel de baptizato. Si primo modo, vel adhuc est in loco paganismi et infidelitatis sue habens sub se christianos et tunc habet aliquam potestatem in eos et sic intelligitur auctoritas Petri. Vel est inter christianos et tunc nullam, de Jude. Cum sit, et in c. Ex speciali. Si loquimur de baptizato, sed recedente a fide pertinaciter, ille nullam penitus habet et in hoc peyoris condicionis est, quam paganus.

Ad 3<sup>m</sup>. Dico, quod milites illi non obediebant mandatis Juliani quasi sui superioris et quasi eos in aliquo ligarent, sed ea perfeccione, qua in licitis et honestis obtemperabant eciam inferioribus se [sic] et hoc tunc eis licuit. Quamvis enim iam Constantinus baptismum accepit, tamen adhuc pagani et alii increduli pro magna parte permixti erant christianis. Oportebat ergo synagogam cum honore sepeliri, ut succesive et paulatim obedientia in rebus licitis ipsis infidelibus, paganis et hereticis a fidelibus auferretur. Phas ergo fuit tunc, quod non nunc. Ecclesia enim iam in culmine auctoritatis excrevit, in qua si nimium servaretur humilitas, regendi frangeretur auctoritas, 86. di. Quando.<sup>2)</sup> Distigwe ergo tempora et concordabis scripturas, 23. q. 4. Non invenitur,<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> c. 7, de privileg., 5, 7 in VI. »de privileg.« ist als Korrektur beige setzt.

<sup>2)</sup> c. 4.

<sup>3)</sup> c. 41.

presertim, quia tempore Juliani non prodierunt iam severa statuta contra hereticos, que excommunicarent eos et declararent omnes vasallos et homagiales excommunicatorum non esse obligatos eis ad fidelitatem excommunicacione durante, 15. q. 6. Juratos, etc. Nos sanctorum,<sup>1)</sup> nec illa, que dicunt eos absolutos simpliciter, si domini eorum in heresim inciderint, de here. c. ultimo. Potest etiam responderi: in c. Julianus non commendantur christiani milites, quod obedierint heretico in rebus licitis, sed quia non obedierint ei in rebus illicitis, quamvis imperator esset, et ad hoc probandum e[aput] illud ibi introducitur, 11. q. 3. Julianus. Duo ergo ibi narrantur, sed unum tantummodo commendatur. Introducitur etiam ad illud, ut commendetur obediencia in licitis et honestis, que fit catholicis et bonis prelatiis, ut ex quo milites illi in talibus obediverunt etiam heretico, multo magis obedire catholico debeamus. Argumentum simile habemus in ewangelio de villico diffamato, qui narratur dissipasse bona Domini sui, non tamen in hoc commendatur, quod dissipavit, sed ad hoc introducitur, ut si ille sibi amicos fecit de alieno, nos nobis de proprio faciamus. Aliter. Heretico nulla debet fidelitatis, servicii aut obediencie communicio exhiberi; si tamen est aliquis hereticus, etiam publicus, quem Romana ecclesia ex certa sciencia tollerat [sic] permittens ex causa maioris mali forte vitandi sibi in quibusdam licitis civilibus aut criminalibus obediri, sed nemo tenetur. Hoc videtur sentire gl[ossa] in eodem c. Julianus. Ad glos[sam] autem 24. q. 1 in § Sed illud dic, quod habet textus multos contra se, 24. q. 1., quasi per totum, et ideo de ea non est curandum. Posset tamen glos[s]a salvari secundum ea, que suo modo iam de Juliano dicta sunt.

4. Dic de abbatissis et secularibus iudicibus aliter esse, quia in illos vel ratione sexus aut status non cadit executio clavium, de pe. et re. Nova,<sup>2)</sup> de of. or. Pastoralis<sup>3)</sup> in glo[ssa]. Papa autem et episcopus ad executionem illam aptissimi sunt et cum hoc territorium et merum imperium habent et sic non valeret argumentum, si argueretur de quibusdam iudicibus pedaneis, quamvis ecclesiasticis [fol. 122v<sup>o</sup>], qui interdum excommunicare non habent, quamvis precipere et iudicare, quia vel territorium vel merum imperium non habent, vel sub certa forma eis iuridicicio commissa est.

Ad 5<sup>m</sup>. Dico. Non est simile de heretico et quolibet alio mortali peccatore. In heretico Deus fundamentum non reperit, in alio non superedificat. In heretico non inhabitat per auctoritatem

<sup>1)</sup> c. 5 und 4.

<sup>2)</sup> c. 10, X, de poenitent. et remissionib., 5, 38.

<sup>3)</sup> c. 11, X, 1, 31.

vel gratiam, in alio peccatore non inhabitat per gratiam solam. Et quamquam scriptura utrumque dicat, Deum videlicet omnipotentem, et peccatorem et hereticum non inhabitare, sed fugere, Ecclesia tamen sancta. que scripturas sacras habet interpretari et exponere, sic exposuit per Spiritum sanctum edocta, quod peccatoribus mortalibus per solam gratiam deest, hereticis autem et scismaticis per gratiam et auctoritatem.

Ad 6<sup>m</sup>. Aliud est vinculum, quo servus domino vel filius patri est obnoxius, aliud, quo suo superiori subditus, ut patet in glo[ssa] 11. q. 3. Quoniam multos, et ideo non est mirum, si episcopo meo heretico vel simpliciter excommunicato obedire non debeam, 93. di. Miramur [sic],<sup>1)</sup> et tamen domino meo vel patri heretico vel excommunicato secundum aliquos ut prius debeam obedire. Tu tamen dic et melius, quod per supervenientem heresim eciam famulus a servicio domini liberatur, de here. c. ultimo,<sup>2)</sup> sed non per solam excommunicacionem et sic loquitur c. Quoniam inter multos [sic] 11. q. 3, et de sen. ex. Inter cetera.<sup>3)</sup>

Ad 7. Specialissimum est hoc et ab Ecclesia sancta approbatum, quod hereticus in papam electus sine excepcione heresis debet ad possessionem papatus admitti. Hic ergo casus non potest in aliis ad consequenciam trahi. Igitur si hereticus in papam electus se tunc correxerit, moram preteritam purgavit et ut papa ab omnibus habeatur; si autem in heresi pristina permanserit, de illa poterit accusari et deponi, ut notatur in c. Licet de elec. Medio autem tempore si publica est heresis sua vel de ea diffamatus apud bonos et graves, ut hereticus habeatur usque ad purgacionem vel absolucionem, non tamen simpliciter ab eo recedatur, nec alter eligetur ante deposicionem et hoc est eum ab universali Ecclesia pro papa haberi. Si autem sola accusacione vel levi suspicione in priori heresi creditur remanere, dic ut supra dictum est de Symacho in quaestione quadam alia.<sup>4)</sup>

Ad 8. Fateor, quod nec catholicos excommunicare vel alias punire potest, nisi forte in casu c. Presidentes de here. li. VI., ab aliis scilicet legitimis inquisitoribus requisitus. Quod autem dicitur, 24, q. 1 in § Hiis auctoritatibus, quod iuridicionem habeat in coheretico suo sicut dyabolus in pecore suo, disputative dicitur. non assertive. Eciam quod ibidem dicitur iuxta verba beati Augustini in c. Subdiaconus, et c. precedenti,<sup>5)</sup> quod ipse ad se susceperit vel suscipere voluisset hereticos ad se revertentes

<sup>1)</sup> c. 2 Miratus?

<sup>2)</sup> c. 16, Absolutos, X, 5, 7.

<sup>3)</sup> Gemeint ist wohl c. 103 Quoniam multos; an zweiter Stelle ist wohl gemeint c. 31 Inter alia, X, 5, 39.

<sup>4)</sup> In der 4. Quästion ad 4<sup>m</sup>.

<sup>5)</sup> c. 39 und 38 Quisquis.

sub eadem pena, qua puniti fuerint pro suis aliis excessibus a suis superioribus hereticis, sane debet intelligi. Verbi gracia. Episcopus hereticorum aliquos ex eis excommunicat vel alia pena punit, non quia heretici, sed quia adulteri sunt, et illi révertuntur ad nos, quid faciemus de eis? Habebimus ne eos pro excommunicatis? Dic simpliciter, quod non. Quod et dicit glo[ssa] in eodem c. Subdyaconus. Habebimus autem ne eos obligatos ad alias penas, quibus illi eos astrinxerunt? Verbi causa. Punivit eos in pane et aqua certo tempore. Numquid adhuc apud nos ad hanc penitenciam sunt astricti? Videtur velle glo[ssa], quod sic, propter verba beati Augustini, quae ibi habentur in textibus, sed tamen dic oppositum et intellige beatum Augustinum, quod ad eandem penitenciam apud nos recipiuntur: intellige eandem speciem sed non numero. Nec enim debent apud nos remanere pro criminibus illis impuniti, pro quibus ibi puniti fuerunt.

Ad 9. Dic aliud esse in sacramentalibus et aliud in iurisdictionalibus. Illa enim, que procedunt ex ordine, procedunt ex re indelebili et ideo aliquid indelebile operantur. Ideo heretici in forma Ecclesie conficientes, ordinantes vel consecrantes, in veritate conficiunt, ordinant et consecrant. Ea autem qua ex iurisdictione procedunt, procedunt ex re delebili et amissibili; iuridicchio enim sicut per hominem committitur, sic et per hominem aufertur; et ideo talia post heresim nichil operantur. Deus enim et homo abstulit hereticis iuridiccionem suam. Hiiis tamen non obstantibus eciam ipsa sacramentalia aliquam nullitatem habent, non in essencia, sed in execucione vel effectu graciae. Ordinati enim ab heretico execucione carent, de or. ab e. qui res [sic] c. ultimo.<sup>1)</sup> Sacramenta quatuor [?] <sup>2)</sup> eorum vel nullum vel letalem habent effectum, 28. q. 1 in § Sed illud, <sup>3)</sup> excepto baptizmo ab illis in necessitate suscepto, ut patet in e[odem] §, et c. sequentibus. Porro baptizare licet in articulo necessitatis ad quemlibet pertineat, inter sacramentalia tamen computatur, quia et characterem imprimi debet et irrevocabilem, de apo. et re. bap. c. 2,<sup>4)</sup> et a nullo debet conferri, nisi a sacerdote, cum haberi potest, de con. di. 4. Mulier,<sup>5)</sup> de bap. et eius e. in cle. unica in glo[ssa] super illo verbo: Ne quis.<sup>6)</sup>

Ad 10. Dic, quod actus consecrandi et ordinandi ex ordine est, non ex iurisdictione, quia nec archiepiscopus, nec episcopus quantumcumque confirmatus, si non est consecratus, ordinat aut

<sup>1)</sup> c. 2. Cum clericis, X, de ordin. ab episcopo, qui renunc. episcopat. 1, 13.

<sup>2)</sup> Beschädigte Schrift, daher schwer leserlich; quoque?

<sup>3)</sup> Dict. grat. p. c. 39.

<sup>4)</sup> c. 2 Ex literarum, X, de apostat. et reiterant. baptisma, 5, 9.

<sup>5)</sup> c. 20, de consecrat., D. 4.

<sup>6)</sup> c. un. Praesenti, de bap. et eius effectu, 3, 15 in Clem.

consecrat quidquam. Quod autem dicitur, quod episcopatus non sit ordo, a canonistis negatur, ut patet ex hiis, que notantur in prohemio VI. Et cum dicitur „consecrare spectat ad auctoritatem archiepiscopi“, dic, quod actus consecrandi non est de auctoritate archiepiscopali, sed de ordine suo episcopali. Non obstat c. Nosti, et c. Suffraganeis de elec., quia licet episcopus confirmatus non consecratus possit clericum suum ordinare per alium episcopum et archiepiscopus confirmatus non consecratus possit suffraganeum suum per alios episcopos consecrare, hoc non arguit actum consecrandi esse ex ordine, sed solummodo dat illis licenciam, ut executionem suorum ordinum possint extendere in <sup>1)</sup> non-subditos suos, in eos videlicet, qui de iuridiccione sunt committentis.<sup>2)</sup> Ex hoc infero, quod licet Gregorius noster post induratum cor suum et presumptam<sup>3)</sup> ruinam in heresim aliquos novos cardinales pretensos fecerit, episcopos forte, presbyteros et dyaconos cardinales, tamen non sunt, sed si consecrati sunt, sunt episcopi, presbyteri et diaconi, sed nullatenses. Character enim potest eis impressus esse,<sup>3)</sup> sed tytilus alicuius ecclesie non potest eis per hereticum esse commissus. Quamobrem nec Hostienses nec Albanenses, nec tytuli sancte Susanne, nec tytuli sancti Eustachii, nec tytuli alicuius sunt, quia copulare eis ecclesias episcopales vel alias iuridiccionis est, non ordinis est. Ad probandum hoc optime facit 7. q. 1. Novatianus.

Ad 11. Dic. Quamquam hereticus papa suspensus sit ipso iure a papatu suo eo modo, ut dictum est, vel secundum aliquos iam omnino depositus, ita ut eum postea penitentem non possent absque nova eleccione pro papa habere, tamen ad hoc ut alter eligatur oportet deposicionem eius per sentenciam declarari. Nam licet inter virum et mulierem sepe matrimonium sit nullum, non tamen unus ex eis ad aliud matrimonium convolat, nisi fuerint iudicio Ecclesie separati, de divor. Porro.<sup>4)</sup>

[fol. 123 r<sup>o</sup>.] Ad 12. Respondeo. Petrus apostolus a fide fuit devius, sed non hereticus, quia a pertinacia eum excusat fragilitas et timor, ex quibus peccavit et penitencia subito subsecuta. Mox enim agressus flevit amare, Lu[cae] 22.<sup>5)</sup> De Marcellino similiter est dicendum ut patet supra in questione 4<sup>6)</sup> in solucione tercii argumenti. Quidam tamen volunt, quod Marcellinus tamdiu

<sup>1)</sup> Korrigiert aus »et«.

<sup>2)</sup> »Comm.« und »praesumpt.« Korrekturen der nachbessernden Hand.

<sup>3)</sup> Die Korrektur lautet »est«, aber nach der Korrektur habe ich »esse« eingesetzt.

<sup>4)</sup> c. 3, X, 4, 19.

<sup>5)</sup> Vers. 62.

<sup>6)</sup> So die erste Textierung; eine darüber geschriebene Korrektur bessert »5«, aber irrig, wie die Prüfung sofort zeigt.

fuit in errore, ut et pertinax et hereticus esset.<sup>1)</sup> Et ideo secundum passionale seipsum deposuit, hoc est cedendo papatui se depositum vel depositurum<sup>2)</sup> denunciavit. Concilium autem cardinalium et episcoporum ipsum iterato elegit. Primum est magis consonum veritati et c[apiti] Nunc autem 21. di.

Septimo queritur, an concilium generale sit iudex competens in hiis casibus contra Gregorium, in quibus et de fide contra eum agitur et de tytulo papatus, quod non spectet ad eum.

Et arguitur, quod non.

1. Papa a nullo hominum iudicatur, sed a solo Deo, 9. q. 3. Nemo, et c. sequenti. Igitur etc.

2. Papa est maior consiliis, quia illis virtutem tribuit, 17. di. per totum. Igitur etc.

3. Quid est concilii [sic] congregacio, nisi omnis cleri congregacio? Papa autem ab omni clero iudicari non potest, 9. q. 3. Nemo. Igitur etc.

4. Explorati iuris et antique observancie est, ut qui contra papam quidquam questionis habeat, veniat ad sedem apostolicam<sup>3)</sup> ante confessionem beati Petri et papa det illi iudicem, 2. q. 7. Si quis.<sup>4)</sup> Igitur concilium non est iudex.

5. In causa ecclesie sue episcopus est iudex, quia quod est ecclesie, non est suum; quod enim universitati datur, nemini datur. Unde et canonicus vel monachus potest esse testis in causa ecclesie sue, de testi. Cum nuncius.<sup>5)</sup> Ergo et papa in causa Ecclesie universalis sibi commisse, potest esse et testis et iudex, maxime, quia eius vicem gerit in terris, qui est iudex et testis et a quo et ipse papa iudicabitur eodem teste, quo iudice, 9. q. 3. Aliorum. Sed que potest esse causa magis concernens Ecclesiam, quam cum de fide vel tytulo papali agitur? Igitur etc.

In oppositum arguitur primo. Non est dubium, quin in causa fidei contra papam mota ipse iudicandus sit et iudicem in terris habeat, 40. di. Si papa. Sed quis iudex ei conveniencior, quam concilium generale? Quod enim a pluribus queritur, facilius invenitur. Unde et scriptum est: „Seniores provincie congrega“, 20. di. c. finali. Et iterum: „Si difficile et ambiguum inter causam et causam apud te iudicium esse perspexeris, viderisque in portis ipsum iudicium variari, venies ad sacerdotes levitici generis et illi iudicabunt tibi iudicii veritatem, Deutero. 17,<sup>6)</sup> qui fe. [sic]

<sup>1)</sup> So korrigiert aus der Textierung: »in errore nec pertinax nec hereticus.«

<sup>2)</sup> Dieselbe korrigierende Hand schrieb über »denunciavit« »vel depositurum.«

<sup>3)</sup> »apost.« stammt von derselben korrig. Hand.

<sup>4)</sup> c. 42.

<sup>5)</sup> c. 12, X, de testib. et attestat., 2, 20.

<sup>6)</sup> Deut. 17, 8. 9.

sint le. Per venerabilem.<sup>1)</sup> Et quamvis ibidem dicatur: „et ad iudicem, qui eo tempore fuerit“, tamen quia proch dolor! iam iudices sunt et non iudex — nec enim scitur indubitate quis eorum index sit, ideo ad impossibile illud non obligamur, de re. iu. Nemo, [sic]<sup>2)</sup> nec viciabitur possibile per impossibile, quinymmo impossibilis condicio pro non adiecta habebitur, de condi. apo. in ma. c. ultimo,<sup>3)</sup> nec utile per inutile, de re. iu. li. VI.<sup>4)</sup> Quamobrem hac impossibilitate semota sacerdotes levitici generis adhuc iudices remanebunt. Numquid non crebro, quando nec rex nec iudex fuit in Israhel, congregabantur maiores natu vel ad eligendum sibi regem et iudicem, vel ad discuciendas alias questiones ortas in plebe, ut patet ex discursu libri Judicum per totum? Hec autem in figura contingebant illis et propter nostram doctrinam scripta sunt, ad Rom. 15,<sup>5)</sup> et in 1. ad Cor. 10.<sup>6)</sup> Igitur etc.

2<sup>o</sup>. In causa fidei concilium maius est papa, di 15. Sicut,<sup>7)</sup> 19. di. Anastasius<sup>8)</sup> in glo[ssa]; nam et orbis maior est urbe, 93. di. Legimus.<sup>9)</sup> Igitur etc.

3. Contra Symachum, Marcellinum, Sixtum et multos alios Romanos presules congregati sunt episcopi et prelati eos iudicaturi, 21. di. Jam nunc [sic],<sup>10)</sup> et c. se., 2. q. 7 in § Item Symachus,<sup>11)</sup> quod minime fecissent, si eorum iudices non essent. Igitur etc.

4. Prescriptio dat iuridiccionem alias non habenti, de fo. com. Cum contingat,<sup>12)</sup> de prescrip. Auditis.<sup>13)</sup> Sed universale concilium hoc dudum prescripsit contra papas, ut in talibus casibus iudicaret eos, nec est memoria in contrarium, ut patet ex annalibus, cronicis et gestis retroactorum temporum. Igitur etc.

5. Duobus de papatu probabiliter contendentibus eciam sine heresi concilium est iudex, 79. di. Si duo forte,<sup>14)</sup> ut patet ibidem ex verbis illis: „divinum iudicium et consensus universitatis“ etc. Sed quid est universitas nisi totius ecclesie congregata numero-

<sup>1)</sup> c. 13, X, qui filii sint legitimi, 4, 17.

<sup>2)</sup> Die Reg. 6, de regul. iuris in VI.

<sup>3)</sup> c. 7 Si conditiones, X, de conditionib. apposit. in desponsat., 4, 5. Die Abkürzung »ma« steht offenbar hier für »matrimonii«. Aus diesem Zitat ergibt sich die Fehlerhaftigkeit des Textes »possibilis«.

<sup>4)</sup> Reg. 37.

<sup>5)</sup> Rom., 15, 4.

<sup>6)</sup> 1 Cor. 10, 11.

<sup>7)</sup> c. 2.

<sup>8)</sup> c. 19.

<sup>9)</sup> c. 24.

<sup>10)</sup> Gemeint ist wohl c. 7. Nunc autem, D. 21.

<sup>11)</sup> Dict. grat. p. c. 41, § 10.

<sup>12)</sup> c. 13, X, 2, 2.

<sup>13)</sup> c. 15, X, 2, 26.

<sup>14)</sup> c. 8.

sitas, vel eorum qui principales existentes in ea aliorum vices repraesentant? Patet etiam, quia cum Ursinus et Syricius,<sup>1)</sup> item cum Laurentius et Symachus de presulatu Romano concertarent, concilium fuit iudex, ut patet in speculo historiali li. 18. c. 3, et li. 22. c. primo.<sup>2)</sup>

Solutio. Concilium est iudex.

Ad argumenta in oppositum.

Ad 1<sup>m</sup>. Cum dicitur: „papa a nemine iudicatur“, dic „a nemine“ id est a nullo singulari homine, nisi voluerit ei se sponte submittere, 2. q. 7. Nos si incompetenter.<sup>3)</sup> Secus autem est de multorum hominum universitate congregata.

2. „Papa est maior conciliis“ [sic]. Dic, verum est, nisi in causa fidei.

3. „Papa non iudicatur ab omni clero.“ Dic, „omnis“ vel „omni“ ibi capitur distributive, quia a nullo singulari clerico<sup>4)</sup> iudicatur invitus. Collective autem capiendo, hoc est, a toto clero simul collecto, vel prelati eorum simul collectis, bene iudicatur in certis casibus etiam invitus, in causa videlicet fidei et quando de tytulo eius probabiliter dubitatur.

4. Cum quis est indubitatus papa et universaliter pro papa habitus et sibi causa movetur de rebus aliis vel criminibus aliis, que ad heresim non reducuntur, ipse dat iudices, si vult. Gregorius autem nec indubitatus papa, nec universaliter pro tali habitus et cum hoc de heresi accusatur. Igitur etc.

5. Quidquid sit de illo, an videlicet episcopus iudex esse possit in causa sue ecclesie, tamen dato, quod sic, aliud tamen est, cum agitur de iure ecclesie, aliud cum de crimine vel de iure persone, 23. q. 4. Inter querelas,<sup>5)</sup> et c. Gwilisarius.<sup>6)</sup> In crimine igitur heresis mote contra eum, ymmo nec in criminibus aliis, propter que forte mereretur deponi, iudex est, sed vel archiepiscopus cum concilio provinciali, vel ipse papa. Nec etiam iudex esse potest in casu, quo sibi de tytulo suo ecclesie questio moveretur; nemo enim iudex in causa sua propria, ut patet ex canonibus de quibus supra, facit 63 di. Salonitanae.<sup>7)</sup> Nec valet, quod dicitur: „vicem in terris eius gerit, qui est iudex et testis“,

<sup>1)</sup> Das Schisma des Ursinus war nicht unter Siricius (384—98), sondern gegen Damasus I. (366—84), nämlich im Jahre 366—67 (Jaffé-Wattenbach, Reg. pont. Rom., 1, Lipsiae 1885, S. 36; Duchesne, Le lib. pont., 1, Paris 1886, S. 212); das Schisma des Laurentius 498—505 (Jaffé, S. 100).

<sup>2)</sup> Nämlich das Speculum histor. des Vincenz von Beauvais.

<sup>3)</sup> c. 41.

<sup>4)</sup> Im Text steht »clero«. Die korrigierende Hand schreibt verbessernd »vel clerico«.

<sup>5)</sup> c. 27.

<sup>6)</sup> c. 30.

<sup>7)</sup> c. 24. »Salonitanae« ist erst durch die nachbessernde Hand eingefügt.

igitur et ipse; hec enim ipse est Deus, sed eius vicarius, qui ad [fol. 123v<sup>o</sup>] ea que soli Deo reservata sunt, suas manus extendere non potest. Licet enim Pharao ad Joseph dixerit: „Tu eris super domum meam et ad tui oris imperium cunctus populus obediet“, subiunxit tamen: „uno solio regni te precedam“. <sup>1)</sup> Precedit igitur et Christus Petrum, ut non sit iudex et testis simul, servus sicut dominus, nisi forte in hiis, in quibus de fide non agitur, nec preiudicium universalis Ecclesie vertitur, ut si secundum formam element[inae] unice de proba. <sup>2)</sup> in causis aliorum, in quibus se aliquid fecisse narrat, super quibus intencio sua fundatur, iudex sit. Sed hec in <sup>3)</sup> causis aliorum, non in <sup>4)</sup> propria semper.

Octavo queritur, an concilium generale ante suam diffinitivam sententiam possit Gregorio interdicerere amministrationem, si alias sibi a iure interdicta non esset, et si potest, an in temporalibus tantum an eciam in spiritualibus.

Et arguitur primo, quod sibi interdicerere omnino non possit. Et arguitur sic: Primo arguitur. Lite pendente nichil debet innovari, ut li. pen. <sup>4)</sup> per totum; ante sententiam nullus debet possessione privari de insti. Cum venisset; <sup>5)</sup> sequestracio eciam possessionum et fructuum lite pendente fieri non debet eciam per papam, de seques. pos. c. 1 et 2. <sup>6)</sup> Igitur multo minus per concilium contra papam.

2<sup>o</sup>. Eciam si iudex in certis casibus amministrationem prohibere possit nondum convicto, confesso vel condempnato, tamen hoc intelligitur de amministratione temporalium, non spiritualium, ar[umento] c[apitis] [sic] de of. dele. Venerabili. <sup>7)</sup> Igitur etc.

3<sup>o</sup>. Si propter aliquam causam posset concilium suspendere Gregorium ante diffinitivam sententiam ab amministratione eciam spiritualium hoc maxime videtur esse ex eo, quia de dilapidacione ipsorum spiritualium probatus esset fore suspectus, utpote quia excommunicaret, suspenderet vel alias spiritualiter puniret eos, qui contra eum sunt et qui pro eius deposicione laborant. Sed hoc stare non potest. Abbas enim, de quo in c. Olym de accu. <sup>8)</sup> fecit talia in monachos suos, ut patet ibi, et tamen spiritualia non fuerunt ei interdicta, nam monachi tenebantur sibi adhuc obedire, igitur nec hec possent pape interdicti.

<sup>1)</sup> Gen. 41, 40.

<sup>2)</sup> c. un. Literis nostris de probation., 2, 7 in elem. — Die Kap.- und Titelverweisung »unice de proba.« erst durch die nachbessernde Hand nachgetragen.

<sup>3)</sup> »In« durch die nachbessernde Hand für »de« eingesetzt.

<sup>4)</sup> X, 2, 16.

<sup>5)</sup> c. 6, X, de institution., 3, 7.

<sup>6)</sup> c. Ad hoc, und Dilectus, X, de sequestrat. possess. et fruct., 2, 7.

<sup>7)</sup> c. 37, X, 1, 29.

<sup>8)</sup> c. 26, X, 5, 1.

4. Si posset concilium ante sententiam papam a spiritualibus et temporalibus suspendere, posset et eum excommunicare; hec enim pari passu ambulant, de appel. Preterea,<sup>1)</sup> de sen. ex. c. 1. li. VI.<sup>2)</sup> Sed hoc est falsum. Igitur etc. Falsitas autem eius apparet ex eo, quod Dioscorus propterea fuit depositus, quia Leonem papam excommunicavit, 21 di. In tantum.<sup>3)</sup>

In oppositum arguitur.

Primo. Propter contumaciam rei privatur ipse sepe possessione lite pendente et alter mittitur in possessionem causa rei servande, de eo qui mit. in pos.<sup>4)</sup> q[ua]si per totum. Sed talis contumacia potest in Gregorio reperiri in futurum ante sententiam, vel est iam forte reperta, igitur et possessione privari potest.

2<sup>o</sup>. Eciam non contumax propter certas causas, quarum aliquae notantur in c. 2. de seques. pos. in glo[ssa], potest sequest[r]ationem incidere et sic ad tempus possessione privari. Sed in Gregorio possunt aliquae causarum illarum inveniri, forte suspicio de dilapidacione vel sevicia et presertim suspicio iam probata. Igitur etc.

3. Non solum temporalia, sed et spiritualia sub sequestratione cadunt. Sequestratur enim aliquando ipsum beneficium et suspenditur quis ab administratione totius abbacie, ita ut sequester<sup>5)</sup> temporalia et spiritualia amministret, ut in cle. unica de seques. pos.<sup>6)</sup> de si. Licet Heli;<sup>7)</sup> faciunt eciam notata in capitulo Examinata de iudi.<sup>8)</sup> Igitur etc.

4. Propter suspicionem delapidacionis in temporalibus iam probatam potest quis a temporalium administratione suspendi, igitur et propter illam probatam in spiritualibus potest a spiritualibus suspendi. Periculosius enim spiritualia dilapidantur, quam temporalia ex eo quia preciosiora sunt et animam respiciunt, de pe. et re. Cum infirmitas.<sup>9)</sup> Sed ubi maius periculum vertitur, ibi necesse est, ut caucius et forcius occurratur, de elec. Ubi periculum li. VI. Talis autem suspicio et eius probacio potest inveniri vel inventa iam est in Gregorio. Igitur etc.

5. Iudex potest omnia, sine quibus causam terminare non potest, de of. dele. Preterea. Accessorium namque sequitur naturam sui principalis, de re. iu. Accessorium li. VI. Sed si Gregorius

<sup>1)</sup> c. 22, X, 2, 28.

<sup>2)</sup> c. Cum medicinalis, 5, 11 in VI.

<sup>3)</sup> c. 9.

<sup>4)</sup> X, de eo, qui mittitur in possess. causa rei servand, 2, 15.

<sup>5)</sup> Der Schreiber schrieb das Wort um die Endung gekürzt, die nachbessernde Hand fügte dieselbe bei.

<sup>6)</sup> c. un. Ad compescendas, 2, 6 in Cle.

<sup>7)</sup> c. 31, X, de simon, 5, 3.

<sup>8)</sup> c. 15, X, 2, 1.

<sup>9)</sup> c. 12, X, de poenitent. et remiss., 5, 38.

sevus et crudelis est, vel de eius sevicia timetur, vel probatus esse suspectus in spiritualium et temporalium amministrazione, posset faciliter impedire causam deposicionis sue, in qua concilium iudex est. Ergo concilium habet potestatem tale impedimentum submovendi.

Solucio. Interdici sibi possunt per concilium<sup>1)</sup> eciam spiritualia ante amministrazioneem.

Ad argumenta pro prima parte facta respondetur.

Ad argumenta in oppositum.

Ad primum. Regule ille generales, quod lite pendente nichil debet innovari, nullus possessione sua privari eciam per sequestrationem, fallunt in certis casibus, de quibus in glo[ssa] supradicti c[apituli] 2. de seques. poss., in<sup>2)</sup> quibus vel eorum aliquibus est Gregorius. Igitur etc. Vel. sic. Cum dicitur: „lite pendente nichil debet innovari“, dic: aliud est innovacio, aliud est veteris iuris implecio, quod ius tunc impletur, quando in casibus ab ipso permissis possessiones, fructus, dignitates aut beneficia a possessoribus sequestrando auferuntur.

Ad 2<sup>m</sup>. Dic, caput „Venerabili“ loquitur de eo, qui probatur esse suspectus de dilapidacione temporalium dumtaxat. De Gregorio autem alia scribunt et cum hoc de eius sevicia probalissime timetur, ut patet ex rebus nonnullis per eum iam factis.

Ad 3<sup>m</sup>. Dico, quod in c. Olym de accu. non agebatur contra abbatem tanquam contra notorium hereticum saltem presumptum, ab Ecclesia minime tolleratum, sicut hic, igitur secus hic, secus ibi. Cum enim hereticus talis sit ipso facto suspensus, ut patet ex questione septima<sup>3)</sup> precedenti, si possunt declarare domini de concilio Gregorium ante sententiam esse suspensum, quinymmo ipso iure est declaratum, cur non possunt hoc sibi eciam interdiceret? Unde et in literis dominorum Cardinalium, in quibus hoc interdicunt, ostendunt et pronunciant hoc a iure esse interdictum, ut patet eas intuenti. Aliter. Licet in c. Olym abbas ille esset probatus suspectus de dilapidacione spiritualium, tamen non timebatur alias de sevicia eius, sicut hic. Et quamvis hec ambe soluciones vere sint, tamen quia non transeunt ad illum punctum, an propter probatam solam suspicionem dilapidacionis in spiritualibus quis possit lite pendente a spiritualibus removeri, de quo videtur quod textus ille velit quod non, cum tamen oppositum sit verum, ideo est aliter ad illud caput respondendum. Dic itaque, in c. Olym agebatur per modum denunciacionis; monachi enim denunciaverunt ibi abbatem suum. Et ideo, quia

1) Eingefügt durch die nachbessernde Hand.

2) Eingefügt durch die nachbessernde Hand.

3) Durch die nachbessernde Hand eingesetzt.

sentencia debet formari secundum formam petitionis aut libelli, de accu. Qualiter et quando 2,<sup>1)</sup> et ipsi monachi non pecierunt<sup>2)</sup> abbatem suum lite pendente a spiritualibus amoveri, igitur nec factum est. Hic autem in facto Gregorii concilium procedit ex officio vel fama vel notorietate facti [fol. 124 r<sup>o</sup>] deferente et quasi tacite hoc petente, ut amoveatur ab amministrazione, cum summe necessarium sit hoc. Igitur etc. Aliter. Si bene inspicitur c. Olym, constat, quod abbas non permansit omnino in amministrazione spiritualium; quamvis enim monachi sibi deberent obedire, tamen iuxta unam opinionem, que ibi tangitur in glo[ssa] super verbo Inceptum, ipse non potuit inobedientes ad hoc compellere, sed iudices ipsi. Vel dic. Si abbas accusatus de crimine de nulla dilapidacione probatur suspectus, monachi interim ei obediunt in omnibus, nisi in illis, per que accusatio impediretur. Si autem suspectus probatur, vel hoc est de dilapidacione temporalium vel spiritualium. Si primo modo, interdicent ei temporalia dumtaxat et in amministrazione eorum monachi sibi non obediunt; si secundo modo, tunc spiritualium sibi amministratio eciam interdicitur et abbacia, dignitas vel beneficium apud alium deponitur, forte apud priorem, vel alium, qui interim amministrat, cui et monachi obediunt et non abbati, nisi papa ex certis causis propter disciplinam regularem velit eos adhuc sub obedientia abbatis esse debere. Sic fuit factum per papam in c. Olym. Igitur etc.

Ad 4<sup>m</sup>. Dic, quod concilium in causa heresis potest papam eciam excommunicare et illicitum occupatorem sedis apostolice ab ipsa anathematizando pellere, 79. di. Si quis<sup>3)</sup>, vel excommunicatum declarare, quia secundum leges debet eum iudicare, ut supra in questione quinta.<sup>4)</sup> Omnis autem hereticus excommunicatus est de here. Excommunicamus. Igitur etc. Potest et eum ante depositionem, si depositionem impedit, tamquam perturbatorem sue iurisdictionis excommunicare, suspendere et interdicere, de of. dele. Ex literis. Nec obstat illud factum Dioscori et Leonis, quia Dioscorus non erat concilium universale, sed simpliciter Alexandrinus episcopus et cum hoc per regem violenter intro-nizatus.

Non o queritur, an cardinales habeant hoc concilium convocare et Gregorium ad hoc citare adeo auctorizabiliter, ut et convocati prelati et ipse citatus Gregorius ad illud venire teneatur.

Et arguitur, quod non.

Primo. Omnia concilia generalia debent congregari auctoritate pape, eciam si contra papam essent, 17. di. 3 [sic] in §

<sup>1)</sup> c. 24, X, 5, 1.

<sup>2)</sup> Korrektur der nachbessernden Hand aus pecierunt.

<sup>3)</sup> c. 1.

<sup>4)</sup> Eingesetzt durch die nachbessernde Hand.

Hinc etiam.<sup>1)</sup> Que enim auctoritas concilii sine auctoritate pape, 17. di per totum? Ergo Gregorius et non cardinales hoc congregabit.

2<sup>o</sup>. Ecclesia vel vacat vel non vacat. Si vacat, de nullo debent se cardinales intromittere, nisi ut eligant, de elec. Ubi periculum in § Hiidem quoque li. VI. Quid ergo concilium tamquam iudices congregat, cum<sup>2)</sup> et nullam iurisdictionem habeat, et si aliquam habuisset, per Ecclesie vacationem expirasset ad instar auditorum et aliorum iudicum, e. ty. Ne Romani in cle.<sup>3)</sup> Si non vacat, non est eorum congregare concilium. Nam omnem potestatem suam transtulerunt in papam, igitur translata potestate in illum etiam potestas convocandi concilium in eum translata est et ab ipsis ablata, iuxta ea que notantur in c. Translato de consti.<sup>4)</sup>

3. Quoniam in generali concilio non soli cardinales, sed et alii episcopi iudices sunt et eis in auctoritate equales, vel forte maiores, si tamen plures numero sunt, dato quod illud congregare possent, cum tamen iudex non possit sua citacione vel vocacione ad aliquid artare coniudicem suum ex eo quod par<sup>5)</sup> non habet imperium in parem, de elec. Innotuit, sequitur quod ad ipsum concilium a cardinalibus congregatum prelati convenire non tenentur.

4. Positò quod cardinales illud congregare habent et prelati ad illud venire tenerentur, adhuc Gregorius ipse venire minime teneretur. Probat. Nullus comparere tenetur ad mandatum illius, de cuius iurisdictione non est certus, de off. dele. Cum in iure.<sup>6)</sup> Gregorius autem nec est certus de iurisdictione cardinalium, nec concilii, quia nescit an sit hereticus, ymmo credit oppositum, et tamen illi non habent in<sup>7)</sup> eum iurisdictionem, nisi hereticus sit. Igitur etc.

In oppositum arguitur.

Et primo sic.

1. Cardinales tenent vicem metropolitani, 23. di. In nomine Domini.<sup>8)</sup> Sicut igitur metropolitanus habet convocare provinciale concilium et citare citandos ad illud, 18. di. Si episcopus,<sup>9)</sup> et c.

<sup>1)</sup> Dict. Grat. p. c. 6.

<sup>2)</sup> Der Schreiber hat »cum« geschrieben, aber weggestrichen; die nachbessernde Hand hat es wieder beigefügt.

<sup>3)</sup> c. 2, de elect., 1, 3 in clem. — Um den Text verständlich zu machen, wird man sich etwa das Subjekt »coetus« d. h. cardinalium nach dem zit. c. 2. ergänzen müssen.

<sup>4)</sup> c. 3, X, 1, 2.

<sup>5)</sup> Im Text steht hier ein »habet«, das aber wohl zu streichen ist.

<sup>6)</sup> c. 31, X, 1, 29.

<sup>7)</sup> Durch die nachbessernde Hand eingefügt.

<sup>8)</sup> c. 1.

<sup>9)</sup> c. 13.

se. q[ua]si per totum, sic et cardinales ipsum generale, presertim quod contra papam pro fide intentatur.

2<sup>o</sup>. Cardinales non solum funguntur vice metropolitani cuius inferioris, sed et illius metropolitani, qui est summus pontifex totius Ecclesie, hoc est, papa, sicut eadem auctoritas capituli In nomine Domini exponitur in glo[ssa] magna, de scis. c. unico li. VI. Sed papa potest concilium generale congregare, quando contra eum non est. Igitur et cardinales, quando contra papam est.

3<sup>o</sup>. Si cardinales non haberent universalem synodum convocare contra papam in causa fidei vel eciam in casu, quo sine transgressione fidei duo probabiliter de papatu contendunt, et neuter est in plena possessione papatus, quis illam convocaret? Non papa per se, quia nemo iudex in causa propria. Non alii, quia minoris auctoritatis sunt illis. Ipsi enim sunt senatores et primi et columpne christiani populi, qui si hoc non possent, multo minus hoc alii possent, ar[gumento] c. Cum ad monasterium de sta. mo. in fine ibi: Nec estimet<sup>1)</sup> etc., ubi sic arguitur: Si papa non potest, ergo nec abbas. Igitur si nullus posset universalem synodum contra papam<sup>2)</sup> congregare, ludibrio<sup>3)</sup> essent iura de illa loquencia, quod esse non debet, de elec. Commissa li. VI.<sup>4)</sup>

4<sup>o</sup>. Si nulla esset canonum vel scripture textualis auctoritas in hac parte pro cardinalibus, doceret tamen sola ratio, ipsos hoc concilium congregare debere, ut patet de se. Ratio autem pro lege servanda est, quando deficit lex vel legis auctoritas, sicut scribit beatus Augustinus de assumptione gloriose Mariae Virginis.<sup>5)</sup>

5<sup>o</sup>. Si non tribueret eis hoc ratio, daret tamen eis hoc consuetudo, que est legum optima interpret, de consue. Cum dilectus,<sup>6)</sup> et legum eciam suppletiva, 21. di. c. finali. Consuetudinem autem hanc fuisse ab antiquo, docent historie retroactorum temporam. Quis enim contra Marcellinum et Sixtum concilia congregavit? Non ipsi per se Marcellinus et Sixtus, quia hoc nullibi legitur. Quod ergo non est iure cautum non est supersticiosus adinventionibus presumendum, de trans. pre. [sic] Inter corporalia<sup>7)</sup>, de deci. Ad audienciam.<sup>8)</sup> Si ergo illa concilia non

<sup>1)</sup> c. 6, X, de statu monach., 3, 35.

<sup>2)</sup> »cont. pap.« durch die verbessernde Hand beigelegt.

<sup>3)</sup> Korrige. aus »ludibria.«

<sup>4)</sup> c. 34, de elect., 1, 6 in VI.

<sup>5)</sup> Gemeint ist wohl das Opusculum »de assumptione b. Mariae Virginis« unter den subditicia opuscula des hl. Augustin (Migne, Patrolog. lat., 40, c. 1141—48) und darin dem Sinne nach die Stelle (1144A): In der hl. Schrift »sunt etiam quaedam, quae quamvis commemorari ex toto omissa sint, vera tamen ratione creduntur, ad quod ipsa convenientia rei quemadmodum dux et praevia creditur.«

<sup>6)</sup> c. 8, X, de consuetud., 1, 4.

<sup>7)</sup> c. 2, X, de transl. episcopi, 1, 7.

<sup>8)</sup> c. 12, X, 3, 30.

congregaverunt ipsi pape, que alias potest esse praesumpcio, quam quod maiores natu post ipsum, id est, domini Cardinales illa congregavere.

6<sup>o</sup>. Cum episcopus sit in ecclesia et ecclesia in eo, 7. q. 1. Scire debes,<sup>1)</sup> eadem est auctoritas Ecclesie et episcopi; includit enim episcopum in se. Episcopus autem urbis Rome, hoc est papa, habet auctoritatem congregandi. Igitur et cardinales, qui ecclesia sua<sup>2)</sup> sunt.

[fol. 124 v<sup>o</sup>] 7<sup>o</sup> Cardinales sede vacante habent omnia expedire, que ad electionem pertinent, et presertim illa, sine quibus commode eligere non possunt. Sed Ecclesia iam vacat, quia non habet universalem suum rectorem, vel si habere videtur, habet tamen inutilem, quia ipsam totaliter regere non potest, ut patet per experienciam, et ideo viduata censetur, de trans. pre. Inter corporalia, et sine convocacione concilii alium eligere non possunt, quia oportet ab illo prius pronunciarı Ecclesiam sanctam in veritate vacare, sicut dictum est supra in questione sexta.<sup>3)</sup> Igitur etc.

8<sup>o</sup>. Ecclesia vacante possunt cardinales facere quidquid pro eius communi bono eis unanimiter videtur expedire, de elec. Ubi periculum li. VI. in § Hiidem quoque. Sed hec convocacio concilii generalis omnibus expedire videtur. Igitur etc.

9<sup>o</sup>. Episcopi vocati per metropolitanum ad concilium provinciale venire tenentur, alias puniri possunt, 18. di. Si episcopus, igitur et nunc venire tenentur ad generale per cardinales vocati. Metropolitanorum enim vicem tenent, ut supra ostensum est.

10. Ad concilium provinciale congregatum per metropolitanum non tantum venire tenentur episcopi ad illud vocati, ut iudicent et diffiniant, sed et lesi et lesores citati ad illud,<sup>4)</sup> ut iudicentur et sentencias recipiant, 18. di. Propter ecclesiasticas.<sup>5)</sup> Cum ergo Gregorius tamquam lesor Ecclesie accusetur et citetur, venire tenetur.

11. Citatus eciam ab incompetenti iudice tenetur ire, privilegium et excepcionem suam expositurus coram illo, ut ille cognoscat, an sua sit iuridiccio, de rescrip. Super literis,<sup>6)</sup> et c. Cum ordinem<sup>7)</sup> in glo[ssa], et de privil. Cum persone li. VI.<sup>8)</sup> Vadat igitur et Gregorius, defensionem, privilegium vel excepcionem propositurus, si quam habet.

1) c. 7.

2) Die nachbessernde Hand setzt »Romana« bei.

3) Korrektur der nachbessernden Hand.

4) »ad ill.« durch die nachbessernde Hand eingefügt.

5) c. 15.

6) c. 20, X, 1, 3.

7) cod. c. 6.

8) c. 7, 5, 7 in VI.

12. In dubio obedire debemus, 23. q. 1. Quid culpatur,<sup>1)</sup> et notatur de tem. or. Ad aures<sup>2)</sup> in glo[ssa]. Dato igitur, quod dubitaretur de iuridiccione concilii et cardinalium citacione, adhuc comparere teneretur excepcionibus, si quas habet, sibi salvis.

Solucio. Cardinales congregare habent hoc concilium; episcopi et prelati ad illud vocati et Gregorius citatus venire tenentur.

Ad argumenta in oppositum responderetur.

Ad primum. Concilium universale vel congregabitur non contra papam vel contra eum. Si primo modo, ipse illud congregat, 17. [sic] di. q[ua]si per totum. Si secundo modo, tunc vel est antea habitus universaliter et indubitate pro papa vel non. Si primo modo, tunc oportet hoc esse pro heresi vel sibi equipollenti, 40. di. Si papa; nam si ei aliquis movet questionem pro temporalibus, que possidet, vel criminibus quibuscunque, que heresi non equipollent, propter hoc numquam congregatur generale concilium eo invito, sed ipse dat iudicem si vult, vel alterius iuridiccioni se submittit, 2. q. 7. Si quis, et c. Nos si incompetenter. Si igitur heresim concernit, vel tunc apparent in eo evidenciam signa heresi et tunc non ipse, sed cardinales hoc congregabunt. Tunc etenim presumptus hereticus est et pro tali habebitur, quousque oppositum constet, et ideo medio tempore tamquam amministrazione privatus alios ad se non vocat. Vel signa illa non apparent. Et tunc vel est de heresi apud bonos et graves diffamatus fama tali, que ex emulis<sup>3)</sup> vel sceleratis ortum non habuit, vel que ex incerto auctore procedit, et quia tunc debet pro tali haberi usque ad purgacionem, non ipse, sed cardinales concilium congregabunt. Sic creditur factum in conciliis congregatis contra Marcellinum et Sixtum, de quibus 21. di. Nunc autem, ubi quia non legitur concilia illa convocata esse auctoritate ipsorum paparum, non est hoc nostris supersticiosis adinventionibus presumendum. Quod autem ibidem dicitur congregatos pontifices dixisse sibi non licere contra summum pontificem proferre sententiam, nichil hiis obstat. Aliud est enim in hiis casibus convocare concilium contra eum et aliud sententiam dictare in eum. Poterit enim constare in concilio de corrigibilitate pape et tunc et a retro, ut supra in quadam questione precedenti.<sup>4)</sup> Et ideo quamvis potuerint contra illos duos concilium congregare, tamen non potuerunt eos punire, sed ipsi puniverunt se ipsos. Vel papa de heresi non est taliter diffamatus, ut supra, sed solummodo leviter suspectus vel tantummodo accusatus et tunc congregabit per se. Sic fuit factum de illa synodo contra Symachum, de qua 17. di. in § Hinc etiam.

1) c. 4.

2) c. 5, X, de tempor. ordinat, 1, 11.

3) Korrektur.

4) In der 6. Quästion.

Hoc verum, nisi ipse papa negligeret, concilium congregare, vel non sine fraude congregaret, tunc cardinales vicees eius supplerent. Nunc veniamus ad 2<sup>m</sup> membrum secunde particule, quod fuit de concilio convocando contra papam, qui non est universaliter aut indubitate pro papa habitus. Tunc dico. Cardinales et non ipse congregabunt, sive propter heresim fuerit congregandum, sive propter tytulum suum, de quo dubitatur. Sic fuit factum, cum de Romano presulatu contendebant Ursinus et Ciricius, Laurentius et Symachus, prout hec habentur in speculo historiali li. 18 c. 3, et li. 22 c. 1., de quibus eciam supra in alio loco mencionem feci. Ad quid enim ipse convocaret universale concilium, cum pro universali<sup>1)</sup> papa non universaliter habitus eos qui ad illud venire deberent, ad ipsum perducere effectualiter non posset? Frustra igitur expectaretur casus, cuius nil operaretur eventus, de off. dele. Cum contingat. Sed quia de ipso Symacho et concilio contra eum convocato hic et alibi sepe fit mencio, sciendum, quod contra eum multa sunt concilia congregata et hoc tali ordine et modo. Eligebatur ipse in papam a quibusdam, et Laurentius ab aliis, cumque hii duo de papatu certarent, clerus ipse non auctoritate horum, sed<sup>2)</sup> propria synodum posuit in Ravennam, ut ibi in presencia<sup>3)</sup> regis Theoderici de istorum iure cognoscerent. Cognoverunt igitur hoc spectare ad Symachum et ideo eum pro papa habuerunt ipsique Laurentio de consensu Symachi, vel potius Symachus de consensu synodi, de quodam episcopatu alio providerunt. Quo episcopatu suscepto a Laurentio Symachus per quatuor annos vel circa pacifice, indubitate et universaliter ab omnibus, eciam ab ipso Laurentio, pro apostolico habebatur. Post hec quidam volentes antiquos extinctos carbones reaccendere invidia contra Symachum concepta ipsum de papatu eiecerunt et propter quandam confictam et levem suspicionem heresis se ab eo subtraxerunt et Laurentium in papam assumpserunt. Propter hoc Theodericus rex universale prelatorum concilium congregavit. Ecce concilium 2<sup>m</sup>! Ad hoc concilium venerunt prelati multi, non animo obediendi illi concilio, sed animo informandi regem, quod ad ipsum hec convocacio non pertinet. Quod et factum est, ut habetur 17. di. in § Hinc eciam. Cumque rex esset informatus, quod hec convocacio ad Symachum licet spoliatum pertineret, permisit illi, qui et contra se concilium congregavit. Ecce 3<sup>m</sup>! In illo concilio fuit ante omnia Symachus restitutus, fuit eciam pronuntiatus immunis et liber, ab omni responsione ad heresim faciendam. Constabat enim de calumpnia accusantium, nec fuit ipse de illa apud bonos et graves diffamatus, quinymmo apud

1) Korrektur der nachbessernden Hand.

2) Korrektur aus »se«.

3) Korrektur aus »presenti«.

eos eius illesa fuit opinio. Ipse tamen ex superhabundanti quamvis non teneretur, purgavit se de obiecta heresi in concilio, sicut et episcopus Quinqueecclesiensis postmodum fecit tempore Innocencii III., ut habetur de pur. ca. Cum in iuventute.<sup>1)</sup> Ex hiis igitur patet, quod facta erga Symachum magis sunt contra Gregorium, quam pro eo; primo, quia quando agebatur de tytulo eius cum Laurencio, sicut iam agitur de tytulo Gregorii cum Benedicto, clerus non Symachus concilium congregavit; 2<sup>o</sup>. quia quando agebatur postmodum de heresi contra Symachum, quamvis tunc per Symachum fuit facta congregacio, tamen ipse fuit antea universaliter, pacifice et indubitate pro papa habitus et de heresi nec signis nec fama perlatas, iste autem et manifesta [fol. 125 r<sup>o</sup>] habet heresis indicia cum publica de hoc fama, nec umquam fuit in tali possessione papatus. Nam etsi Urbanus VI., precessor eius, fuerit aliquanto tempore in papali possessione ante discessum suorum cardinalium, fuit tamen adeo modica quod eis mox opportunitate captata recedentibus et metum ac coaccionem sue assumpeionis allegantibus quasi nulla videtur fuisse; modicum enim et nullum equipollent, presertim cum is qui vi, clam aut precario possedit, iam non possedissee videatur. Ex hiis igitur patet solucio ad argumentum primum.

Ad 2 Capias quodcumque membrorum volueris. Da igitur, quod Ecclesia vacet, sicut et heu! vacat, saltem iuris ficcione. Tunc ad argumentum de c. Ubi periculum respondeo, quod ex quo cardinales omnia possunt, que ad eleccionem sunt necessaria, et eciam, que de unanimi voluntate eorum apparent eis facienda, convocando concilium non faciunt contra c. Ubi periculum, sed secundum illud, sicut apparet in argumentis pro hac parte superius inductis. Nunc si vis capias aliud membrum et dic, quod Ecclesia non vacat saltem apparenter. Apparet enim multis esse ordinata et minime viduata. Tunc ad argumentum: Omnia transtulerunt in papam, igitur etc. dic, omnia quae transferre potuerunt, huic autem iuri renunciare non possunt nec potestatem illam in eum transferre, ut factus hereticus papa remaneat et ipsi contra eum non habeant multitudinem fidelium congregare.

Ad 3. Licet in concilio multitudo prelatorum congregata sit equalis cardinalibus in auctoritate vel forte maior, in convocacione tamen facienda est eis minor, sicut et episcopi minores sunt archiepiscopo in convocacione facienda et tamen in provinciali concilio omnes vicem ordinarii tenent, ut notatur de preben. Grave.<sup>2)</sup> Simile videmus de omnibus quasi collegiis spiritualibus et secularibus. Quia etsi capitulum ecclesie collegiate equale vel

---

<sup>1)</sup> c. 12, X, de purgat. canon., 5, 34.

<sup>2)</sup> c. 29, X, 3, 5.

maius sit in pluribus articulis suo decano vel preposito, tamen in convocando illi maiores sunt, sicut et de preconsole [sic] et consulibus et de magistris diversorum operum suos congregancium ad ea, que pro tempore expedienda sunt.

Ad 4. Dic, caput Cum in iure loquitur in delegato, cuius iuridiccio odiosa est et stricte satis interpretanda, et ideo in dubio iuridiccionis habite citatus ire non tenetur. Hic autem loquimur de ordinario, cuius iuridiccio favorabilis est et lacius interpretanda et de iure communi fundata et ergo tenetur ire de privilegio suo docturus, de privil. Cum persone li. VI, de re. iur. Odia eodem li.<sup>1)</sup> Non enim habet concilium universale ex quodam mandato speciali pape sibi facto illum iudicare, nec cardinales tali modo concilium congregare, sed de iure communi et iure ordinario eciam papa invito. Iudicium enim<sup>2)</sup> redditur in invitum. Hiis tamen non obstantibus sepe quis ire tenetur ad iudicem delegatum de sua excepcione certificaturus eum, ut notatur de rescrip. Cum ordinem, et c. Super literis, de dila. c. 2, de off. dele. c. 1 li. VI., et in multis aliis locis, de quo non oportet dici ad presens.

Decimo queritur, utrum cardinales, qui habent convocare concilium et citare ad hoc ipsum Gregorium, possunt sine concilio ipsi Gregorio interdicere amminstracionem papatus, antequam eciam tempus concilii adveniat, vel eciam aliis prohibere, ne sibi ut pape obediant, aut eum declarare incidisse ipso facto suspensionem ab administracione papatus.

Et arguitur quod non.

Primo. Cuicumque committitur citacio, illi committitur nudum ministerium et nulla iuridiccio, argumento c. ultimi de off. dele. Cardinalibus autem in hoc facto commissa est sola citacio et vocacio ad concilium, igitur nulla iuridiccio, et si nulla iuridiccio, sequitur, quod non possunt suspendere vel interdicere quemquam, vel eciam suspensum aut interdictum declarare. Talia enim a non suo iudice facta non valent, de iudiciis Ac si clerici. Igitur etc.

2<sup>o</sup>. Eciamsi domini cardinales ante concilium iudices super Gregorium essent, tamen quia in nullo impedivit eos in iuridiccione eorum, eum taliter distringere non possent non obstante quod dicunt se timere quod eos in futurum impedire posset. Tractus enim futuri temporis non spectat ad iudicem et pro futuris culpis quis interdicti non debet, de sen. ex. Romana in § Caveant li. VI.<sup>3)</sup>

In oppositum arguitur primo. Si domini cardinales hoc non possent, hoc esset maxime ex eo, quia ut nudi ministri et nudi

<sup>1)</sup> Reg. 15.

<sup>2)</sup> Jud. korrigiert durch die nachbessernde Hand aus »iudicatur«, welche auch das »enim« einfügte.

<sup>3)</sup> c. 5, de sentent. excommun., 5, 11 in VI.

executores eum citarent. Sed hoc non est verum, ut patet ex questione proxima. Citacio enim a nullo homine eis superiore eis committitur, sed a iure et cum hoc artat citatum, igitur non potest fieri nisi a iudice, ut in c. Ac si clerici de iudiciis, et in cle. Pastoralis de re iudicata.<sup>1)</sup>

2<sup>o</sup>. Sicut citare est nudus actus, sic et absolvere, de of. de. c. fi.<sup>2)</sup> Sed licet is qui habet absolvere ex delegacione, nullam iuridiccionem habeat et ideo hoc aliis committere non possit, ut patet ibidem, is tamen qui habet hoc ex officio vel dignitate facere, iuridiccionem habet et hoc aliis committere potest, de of. or. c. ultimo, igitur et sic erit de citacione. Sed quia cardinales habent hoc ex officio et dignitate, ut supra demonstratum est. Igitur etc.

3. Si cum citacione iuridiccio stare non posset, sequeretur, quod nullus qui citaret iudex esset. Sed ecce iudices per se citant diversis modis, nunc in albo pretoris,<sup>3)</sup> nunc in literis affixis hostiis ecclesiarum, nunc in literis, quibus scribunt quos et nos presentibus sic citamus, ymmo et papa per se citat. Faciunt iura de accu. Veniens,<sup>4)</sup> de fo. compe. Romana in § Contrahentes,<sup>5)</sup> de rescrip. Statutum in § In nullo quoque li. VI,<sup>6)</sup> et in cle. prima de iudi.<sup>7)</sup> Igitur etc.

4. Is cui commissa est executio sentencie iam late, iuridiccionem habet, de of. dele. Ex literis, et tamen illi eciam solum ministerium videtur esse commissum, ar. c. ultimi e. ty. ibi: Excommunicare vel absolvere. Igitur et sic erit de eo, cui commissa est citacio.

5<sup>o</sup>. Cui committitur exordium litis, iuridiccionem habet, de of. de. Super questionum.<sup>8)</sup> Sed citacio est exordium litis, e. ty. Gratum,<sup>9)</sup> et pars vel inicium iuridiccionis, quia per illam iuridiccio perpetuatur, e. ty. Gratum. Ergo cardinales quia habent citare, habent et iuridiccionem, si iuridiccionem, et coercionem, e. ty. Ex literis, si coercionem, possunt omnia, sine quibus citare Gregorium vel convocare concilium cum effectu non possent. Sed hoc nullatenus effectualiter congregare possent, si Gregorius in<sup>10)</sup> sua amministracione maneret, quia multos et infinitos de facto, non de iure, prohiberet vel revocaret. Igitur hoc impedi-

<sup>1)</sup> c. 2, 2, 11 in Clem.

<sup>2)</sup> c. Quoniam, X, 1, 29.

<sup>3)</sup> Durch die nachbesserude Hand eingefügt.

<sup>4)</sup> c. 15, X, 5, 1.

<sup>5)</sup> c. 1, § 3, 2, 2 in VI.

<sup>6)</sup> c. 11, § 3, 1, 3 in VI.

<sup>7)</sup> c. 1 Dudum, 2, 1 in Clem.

<sup>8)</sup> c. 27, X, 1, 9.

<sup>9)</sup> Eodem titulo e. 20.

<sup>10)</sup> Korrektur aus »si«.

mentum tollere possunt. Sed numquam tollerent, nisi eum ab amministrazione suspenderent, vel suspensum declararent et alios a sua obediencia compescerent. Igitur hec omnia possunt. [fol. 126v<sup>o</sup>.]

6. Si non possent domini Cardinales Gregorium suspendere ab amministrazione, hoc esset maxime ex eo, quia etsi iudices essent, pro futuris tamen culpīs aut delictis eum taliter punire non debent, de sen. ex. 1.) Romana in § Caveant li. VI. Sed quia illa mora, culpa et offensa precedens et alia racionabilis causa excipitur, et Gregorius iam fuit in mora non cedendo, in offensa quoque multa precepta iniusta et unionem impediencia et alia tyrannica opera Cardinalibus et adherentibus eorum 2) faciendo, et racionabilissima causa subest, accleracio videlicet provisionis Ecclesie de unico eius pastore, que valde retardaretur, si Gregorio non interdiceretur amministracio sua, licuit eis omnino, hanc interdicionem sibi et aliis facere. Quod enim infirmari vel vituperari potest, precaveri debet, de ser. cum [sic] or. c. 1. 3) Igitur etc.

7. In re notorie iniusta vel nulla iuris vel facti is qui iudex in re illa non est dummodo alias iudex sit, 4) declarare potest extraiudicialiter eam iniustam vel nullam esse, de ap. Sollicitudinem; 5) igitur et in re notorie iusta declarare potest eam iustam esse; alias iniusticia plus privilegii haberet, quam iusticia, quod esse non debet, de preben. Eum qui li. VI. 6) Gregorius autem incidisse in penas illas notissimum est de iure et de facto. Igitur domini Cardinales, qui alias eius iudices et aliorum sunt in convocando videlicet concilium et citando Gregorium, hoc licite extraiudicialiter tamquam denunciatores facere potuerunt, sicut et fecerunt. Facit c. Venerabilem de elec. 7)

Solutio. Cardinales hoc potuerunt facere et legitime fecerunt.

Ad argumenta in oppositum.

Ad primum. Dic, cardinalibus non est commissa citacio sola, sed citacio cum iuridicione. Sunt enim executores non meri, sed mixti, executores et iudices simul.

Ad 2<sup>m</sup>. Dic, mora et offensa precessit et racionabilis causa subest, ut supra in argumento uno deductum est. Igitur etc.

Undecimo queritur, an ante diffinitivam sententiam contra Gregorium in concilio forte ferendam fideles quique sibi aut teneantur aut possint obedienciam denegare. 8)

1) Korrektur aus »pen«.

2) Korrektur aus »suis«.

3) c. 1 Instruendi, X, de servis non ordin., 1, 18.

4) Die nachbessernde Hand fügt »ordinarius« am Rande bei.

5) c. 54, X, de appellationib. 2, 28.

6) c. 18, 3, 4 in VI.

7) c. 34, X, 1, 6.

8) Wohl um die Wichtigkeit dieser Quästion anzudeuten, ist die Schrift auffallend in Höhe und Breite und mit schwärzerer Tinte geschrieben.

Et arguitur primo, quod non possint nec teneantur, sed debeant interim sub eius obediencia remanere.

Et primo sic.

Primo. Lite pendente nichil debet innovari, possessio presertim colorata alicui auferri vel fructus aut possessio ab eo sequestrari eciam per iudicem, quia in non confessum et convictum nulle sunt partes iudicis, ut li. pen. de seque. po. per totum, de insti. Cum venisset, de con. pre. Cum nostris<sup>1)</sup> Colorata enim possessio multum commodi habet, ut patet ibidem. Facit eciam 2. q. 1. Nos in quemquam.<sup>2)</sup> Multo minus debent hec fieri per partem, 8. q. 4. Nonne.<sup>3)</sup> Sed hec omnia hic per partem fierent. Igitur etc.

2<sup>o</sup>. Eciamsi possessio aliqua corporalis cuiquam posset auferri ante sentenciam, obediencia tamen nequaquam. Unde et monachi litigantes cum suo abbates tenentur ei lite pendente in aliis licitis et honestis, que prosecutionem litis non impediunt, obedire et clerici episcopo suo, 8. q. 4. Nonne, de accu. Olym. Igitur etc.

3<sup>o</sup>. Confirmatur hoc exemplo. Cum enim quondam accusato Symacho papa quidam se ab eius obediencia ante latam in eum sentenciam subduxissent, iussi sunt ei reconciliari et restitui, quinymmo et seismatici iudicati, 17. di in § Hinc eciam, 2. q. 7 in § Item Symachus. Igitur etc.

4<sup>o</sup>. Si hoc fieri deberet, hoc esset propter maliciam Gregorii, de qua accusatur et cuius forte reus est. Sed propter maliciam prelatorum nostrorum ab eis recedere nequimus dicente Domino: „Super cathedram Moysi sedebant scribe et pharisaei; omnia que vobis dixerint facite“, Matth. 23.<sup>4)</sup> Petrus quoque apostolus iubet superioribus non tantum modestis et bonis, sed et discolis obedire, 1. Pe. 2.<sup>5)</sup> Igitur etc.

5<sup>o</sup>. Si propter sacerdotum maliciam ante eorum depositionem legitimam possent aut deberent eos subditi sui deserere, in antiquo Dei populo eciam boni et electi non permansissent sub dicione et obediencia multorum malorum, qui tunc plebi preerant Iudeorum. Saul namque reprobatus erat a Domino et tamen ad eum et eius iudicium omnis populus confluebat et obediebat ei. David quoque, cum esset adulter et homicida, interrogatus a Nathan propheta sentenciam tulit in divitem, qui pauperis ovem rapuit, dicens: Iudicium mortis est viro huic.<sup>6)</sup> Multi eciam in veteri et novo testamento inveniuntur, quorum vita cum esset basphe-

---

<sup>1)</sup> c. 6, X, de concess. praebendae, 3, 8.

<sup>2)</sup> c. 1.

<sup>3)</sup> c. 1.

<sup>4)</sup> Matth., 23, 2. 3.

<sup>5)</sup> 1. Petr. 2, 18.

<sup>6)</sup> 2. Reg. 12, 5, das Zitat ist nicht wörtlich.

mabilis, eorum tamen sententia quia ex officio suo servata iudiciarii ordinis integritate processit, observata legitur, sicut hec habentur 3. q. 7 prope finem. Quid ergo soli Gregorio imputabitur ut propter suam maliciam eius obediencia contempnatur?

6°. Speciale est in notorio fornicatore et forte in symoniaco in ordine suscepto, quod sunt evitandi et solum in divinis officiis vel forsitan in sola missa, de co. cle. et mu. Vestra<sup>1)</sup>, et c. finali, de sy. Tanta.<sup>2)</sup> Quomodo ergo hoc ad alios casus extenditur, cum hic contra Gregorium nec fornicacio nec symonia suscepti ordinis obiciatur, nec queratur de vitacione eius in divinis officiis tantum, sed in omnibus preceptis suis? Privilegia enim casuum paucorum legem communem non faciunt, et ea que a iure communi exorbitant ad consequenciam trahenda non sunt, de re. iu. Que a iure li. VI.<sup>3)</sup> Igitur etc.

7°. Si propter peccata, de quibus accusatur Gregorius, posset populus christianus ante eius deposicionem obedienciam pristinam, redditus et alia iura papatus sibi subtrahere, posset et laycus suo prelato plebano vel presbytero propter eius crimina oblationes, decimas et similia denegare, contra c. Tua nobis de de.<sup>4)</sup> Et cum layci clericis oppido<sup>5)</sup> sint infesti ipsique clerici multa scelera faciunt in domo Domini, [fol. 126 r<sup>o</sup>] quis iam esset laycorum, qui sacerdoti suo iura sua persolveret et debitum obediencie honorisque prestaret?

8°. Quilibet presumitur bonus, nisi probetur malus, de preump. c. finali. Sed Gregorius nondum probatus est esse malus, ergo obediatur ei in bono.

9°. Tanta est virtus communis opinionis hominum, quod si servus reputatus liber, excommunicatus reputatus non excommunicatus sententiam tulerint ut iudices [sic], valeat eorum [sic] sententia, 3. q. 7 in § Verum<sup>6)</sup> [sic], de re. iudi. Ad probandum.<sup>7)</sup> Sed Gregorius communi opinione vel saltem multorum bonus creditur et adhuc tamquam bonus tolleratur, igitur preceptis eius obediendum est, eciam si in veritate malus esset.

10. Si propter scelera Gregorii possemus sine sententia ab ipso separari et dividi, hoc esset maxime propterea, quia, ut dicitur, sunt forte notoria. Sed in notoriis est sententia necessaria, maxime ubi agitur de separacione matrimonii, de divorcio viri et uxoris, de divor. Porro. Sed hic vult se plebs Domini a sponso

1) c. 7, X, de cohabit. clericor. et mulier., 3, 2.

2) c. 7, X, 5, 3.

3) Reg. 28.

4) c. 26, X, 3, 30.

5) Hs. »opydo«.

6) Dict. Grat. Verumtamen ante c. 2.

7) c. 24, X, 2, 27.

suo spirituali, domino videlicet apostolico, disiungere. Igitur est sententia expectanda.

11. Si possemus ab eo discedere, videtur hoc esse maxime propter heresim, que sibi ascribitur, in qua et de qua multa specialia inveniuntur, presertim cum heresis sua notoria et manifesta esse dicatur. Sed hoc stare non potest. Salomon etenim amore mulierularum tamquam ab unius Dei cultu devius gencium deos coluit, et tamen universa plebs Israelitica eum ut regem habuit suumque iudicium expecit et observavit. Achab eciam, quamvis Baal coleret, tamen adhuc populum Domini iudicabat, 3. q. 7. prope finem. Tempore quoque Ewangelii scribe et pharisei unicum verum Deum et Dominum, dominum Jesum Christum, ut talem minime venerabantur, ut et scismatici et divisi merito fuisse dicantur, et scismatici antiqui et indurati et per consequens heretici; fuerunt enim ab apostolico collegio et vere credencium unitate divisi et divisi publice, sicut apparet ex evidenti eorum opere, quod nulla potest tergiversacione celari, et divisi non noviter, sed ab antiquo, quia a cunabulis Domini inceperunt eum cum Herode persequi, et semper restiterunt Spiritui sancto, Act. 9 [sic].<sup>1)</sup> Quod et apparet ex eorum nomine; phariseus enim quasi divisus dicitur. Apparet eciam ex verbis beati Augustini de Juda traditore dicentis: „Ibat ad divisos, id est, scribas et phariseos, et divisus est, de pe. di. 6. Qui vult.<sup>2)</sup> Et tamen hiis omnibus obediendum fuit. Igitur etc. Insuper sub Juliano, Maximo et multis aliis imperatoribus et regibus Arriana heresi vel alia depravatis vivebant sancti, Marthinus, Ambrosius et plures alii clerici et layci, obedientes eis in licitis et honestis, que civiles causas vel criminales concernebant, 11. q. 3. Julianus, 23. q. 8. Convenior.<sup>3)</sup> Igitur etc.

12. Quid est obediencie subtraccio, nisi communionis christiane denegacio? Sed ecce beatus Bonifacius marthir a beato Gregorio germanicis gentibus ad predicandum missus, multis seductoribus et pseudoepiscopis, eciam a recto tramite fidei deviantibus communicavit et absque omni crimine, ut habetur 11. q. 3. Antecessor,<sup>4)</sup> et c. sequenti. Igitur etc.

13. Bona hereticorum confiscata sunt ipso iure, et tamen sive publici, sive occulti fuerint, non potest illa fiscus sibi tollere ante declarationem iudicis legitimi, de here. c. penult li. VI.<sup>5)</sup> Quod capitulum indistincte loquens nec occultum hereticum a manifesto distigwens [sic] de ambobus intelligendum est, ubi enim

<sup>1)</sup> Act. ap. 7, 51.

<sup>2)</sup> c. 6, de poenitent., D. 6.

<sup>3)</sup> c. 21.

<sup>4)</sup> c. 104.

<sup>5)</sup> c. Excommunicamus, X, 5, 7.

lex non distinguit [sic], nec nos distingere debemus. Si ergo publici heretici bona que iam fisci sunt, fiscus ille non tollit sine sententia, quomodo obedienciam, redditus et iura consueta Gregorio denegabimus, antequam eius privacionem et latam contra eum sentenciam audiamus?

14. Si propter notoriam heresim possemus a papa propria auctoritate discedere, ergo et propter notoriam symoniam, cum illa heresis dicatur, 1. q. 1. Fertur.<sup>1)</sup> Sed hoc non est verum. Nec enim potest propter notoriam symoniam accusari, ut sentencialiter deponatur, sicut notatur in glo[ssa] 79 di. Si quis pecunia,<sup>2)</sup> multo minus igitur potest propter illam deseri.

15. Si propter notoriam heresim esset discedendum ab eo sine sententia, igitur et propter quodlibet peccatum mortale notorium, in quo contumaciter perseveraret et esset incorrigibilis. Incorrigibilitas enim et<sup>3)</sup> contumax perseverancia in crimine dicitur heresis, 81. di. Si qui presbyteri.<sup>4)</sup> Sed hoc stare non potest; quia sic papa nullum privilegium haberet pre aliis, si pro quolibet peccato tali posset derelinqui, et multo magis, si posset<sup>5)</sup> de quolibet accusari, et propter ipsum deponi. Quod utique sequeretur, nam si posset pro quolibet tali a subditis propria auctoritate deseri, notum est, quod magis et forcius possent eum de quolibet talium ad habendum eius deposicionem accusare. Quod satis manifeste videtur esse contra e. Si papa 40. di.

16. Ex quo cause in argumentis superioribus allegate ad subtrahendum nos Gregorio videntur aliquibus<sup>6)</sup> insufficientes esse, si aliqua alia sufficiens esset, forsitan esset illa, quod domini Cardinales sibi videntur administracionem in papalibus interdixisse et nobis obedienciam sibi prestandam. Sed si bene inspiciantur omnes literae Cardinalium contra eum directe, nullibi utuntur verbis dispositivis contra eum vel contra nos, ut dicant: Interdicimus, suspendimus vel prohibemus, sed semper quandam notificacionem et quandam requisicionem, quantum in eis est, faciunt, que non videntur aliquod preceptum continere. Igitur

17. Si possemus ab eo recedere, hoc forsitan esset ex eo, quia non recedendo communicaremus ei in crimine, in crimine illo quo dicitur antiquum scisma nutrire non cedendo. Nam si non cedit, ut prius se pro papa gerit, ut papa precipit, ut papa papalia tollit, que non tolleret, si nos ei non daremus, ut per hoc videamur sibi concurrere et participare in peccato suo. Sed

<sup>1)</sup> c. 28.

<sup>2)</sup> c. 9.

<sup>3)</sup> Durch die nachbessernde Hand beigeetzt.

<sup>4)</sup> c. 15.

<sup>5)</sup> »Si poss.« beigelegt.

<sup>6)</sup> »Al.« beigelegt.

hoc stare non potest, quod videlicet per hoc participacionem sui criminis incurramus. Numquid enim dans aliquid iniuste petenti, per hoc dicendus est in iniusta petitione sua communicare illi? Si hoc ita esset, Salvator in Ewangelio non doceret nos, ut post tunicam relinqueremus et pallium. Matth. 6, [sic]<sup>1)</sup> nec Paulus, quod redimeremus tempus malum, ad Ephe. 5.<sup>2)</sup> Preterea iniuste petit a me iudeus usuras, et ego tamen illi dare teneor, si ipsas sub iuramento promisi, de iu. iu. Debitores.<sup>3)</sup> Sic et occultus peccator mihi tamen cognitus iniuste petit a me Eucaristiam [sic] et tamen ego sine culpa tribuo ei, de off. or. Si sacerdos.<sup>4)</sup> Quid ergo nocebit nobis, si Gregorio a nobis iniuste petente papalia, nos ei reddimus illa?<sup>5)</sup>

[fol. 126v<sup>o</sup>] 18. Si propterea deberemus nos a Gregorio subtrahere, quia iuravit et tenebatur cedere infra annum et adhuc tenetur, nec tamen adhuc fecit aut facit, sequeretur, quod si quis iurasset ingredi religionem infra annum et non fecisset anno lapsa, in nullo sibi communicare possem manenti in seculo. Item sequeretur, si episcopus meus iurasset vel alias ex debito teneretur renunciare episcopatu suo infra annum et non renunciaret, non deberem eum anno elapso pro episcopo habere. Item sequeretur, si papa extra necessitatem scismatis iurasset infra tempus cedere ex devocione forte propria vel alia de causa et non cederet, mox elapso tempore eum ut papam non deberem habere. Sequerentur et multa alia similia, sed inconveniencia et absurda, sicut et ista tria prius enumerata. Igitur absurdum et inconveniens est et illud, unde haec omnia procedunt videlicet, nos debere vel posse derelinquere Gregorium lite pendente contra eum.

In oppositum arguitur.

Primo sic. Gregorius suspensus est ipso iure a papali regimine, ut patet ex questione VI.<sup>6)</sup> Sed talibus communicandum non est in illis, a quibus suspensi sunt. Igitur etc.

2. Quicumque iam iudicatus est, non est necesse, ut iudicetur. Infidelis, impius, hereticus, non recte credens est huiusmodi. Igitur etc. Antecedens cum consequentia probatur Johannis 3.<sup>7)</sup> Sed quia Gregorius iuxta questionem 3 propter nutrimentum antiqui scismatis hereticus est, igitur iam iudicatus est. Quid ergo prestolamur, ut adhuc per sententiam iudicetur?

<sup>1)</sup> Matth. 5, 40.

<sup>2)</sup> Éph. 5, 16.

<sup>3)</sup> c. 6, X, 2, 24.

<sup>4)</sup> c. 2, X, 1, 31.

<sup>5)</sup> Dieselbe nachbessernde Hand fügt hier bei: »Ar[gumento] 33, q. 5. Manifestum est, et in c. sequen. et in c. penultimo = c. 11, 12 Est ordo, 19 Mulier.

<sup>6)</sup> Korrektur.

<sup>7)</sup> Joh. 3, 18.

3. Scriptum est 19. di. Nulli phas:<sup>1)</sup> Dolore sue ruine prostratus iaceat quisquis apostolicis voluerit contraire decretis, nec de iudicio eius quisquam curam habeat, quoniam iam damnatus esse [non]<sup>2)</sup> dubitatur. Sed quia apostolica decreta volunt Gregorium cedere et cedendo scisma extigwere et non facit, iam dampnatus est iamque ipso facto sue ruine dolore prostratus, et de iudicio eius, ait, nullus curam habeat. En ius absolvit nos ab eius iudicio. Quid necesse est, ut absolvat homo?

4. Cum olym Achacius hereticus conqueretur se sine synodali congregacione dampnatum et derelictum, Gelasius papa et Felix scribunt hoc iuste esse, factum. Nam qui scismate vel heresi polluitur communione fidelium seipsum privasse censetur, 24. q. 1. Achacius primo et secundo.<sup>3)</sup> Igitur etc.

5. Ab Anastasio secundo propter heresim, quia communicavit in crimine Fotino et Achacio, clerus sanctus absque concilio synodali discessit et in nullo reprehenditur, 19. di. Anastasius.<sup>4)</sup> Igitur etc.

6. Paulus dicit, ad Tytum ultimo: Hereticum post primam et secundum coreccionem devita; subversus est enim et proprio iudicio dampnatus. Si ergo Gregorius tamquam hereticus a cardinalibus suis et multis aliis est iam sepe monitus, et quia monicionem non curat, est secundum Apostolum proprio iudicio condempnatus, in nullo potest conqueri se ab aliis iniuste deseri.

7. Statutum est in generali concilio, ut credentibus, receptoribus,<sup>5)</sup> defensoribus hereticorum, et fautoribus, postquam excommunicati fuerint, et ipsi satisfacere contempserint, infra tempus eis a iure prefixum, nullus super aliquo negocio respondere cogatur et si iudices fuerunt, eorum sententia nullam obtineat firmitatem, nec cause alicue ad eorum audienciam perferantur de here. Excommunicamus in § Credentes.<sup>6)</sup> Multo magis hoc in ipsis hereticis observandum est, propter quos et propter quorum defensionem prohibendam<sup>7)</sup> hec statuta sunt, iuxta regulam topicalem: Propter quod unumquodque tale, et ipsum magis tale. Facit ad hoc, quia ipsi heretici iam excommunicati sunt, nec habent annum prefixum, infra quem redire debeant, sicut illi, sed quanto cicius possunt, ut supra patet in notabilibus quarte questionis. Quod quia Gregorius non fecit, non est mirum, si man-

<sup>1)</sup> c. 5.

<sup>2)</sup> Das »non« steht in Hs. nicht, wird aber durch den Text des Zitates gefordert.

<sup>3)</sup> c. 1 und 3.

<sup>4)</sup> c. 9.

<sup>5)</sup> Korrektur aus »receptoribus«.

<sup>6)</sup> c. 13, § 5, X, 5, 7.

<sup>7)</sup> »Prohib.« durch die nachbessernde Hand eingefügt.

data eius et litere non recipiuntur et appellacionibus ad ipsum interpositis non defertur.

8. Si deberemus ei obedire usque ad finalem sui depositionem, hoc esset maxime propter exemplum clericorum illorum, qui quondam recesserunt a Symacho et male fecerunt. Sed ibi de veritate heresis Symachi vel eius notorietate nichil constabat, ymmo nec de ea apud bonos et graves diffamatus erat, sed hoc ex sola suspicione fecerunt. Scriptum est enim de eis: Nonne directa sunt verba canonum: Quicumque clericorum ab episcopo suo ante tempus sententiae pro dubia suspicione discesserit, manifestam in eo manere censuram, 8. q. 4. Nonne. Hic autem non est dubia suspicio, sed notoria vel verisimilis presumpta, heu, veritas. Igitur etc.

9. Inspiciamus verba eiusdem capituli, que adhuc sequuntur et videbimus, quod magis faciunt contra Gregorium, quam pro eo Dicunt namque: Lex ecclesiastica pontificem ab aliis accusatum, priusquam obiecta sub lite constiterint, exigit non relinqui. Ea autem que obiciuntur Gregorio, sunt luce meridiana clariora. Manifestissimum est enim eum non cedere, sicut iuravit et eciam sicut sine iuramento tenetur. Et cum illud non cedere sit antiquum scisma alere et per consequens heresis, ut supra in questione 3. Igitur etc.

10. In notoriis tam parum observatur ordo iuris, ut sepe non sit necessaria citacio, de elec. Bone,<sup>1)</sup> sepe nec sententia. Nam et publicus latro sine sententia occiditur, sicut notatur in glo[ssa] de resti. spo. In literis,<sup>2)</sup> et de inec [sic] Inter alia.<sup>3)</sup> Sed quis iam plura et evidenciora committit animarum latrocinia, quam qui per publicum suum scisma domum oracionis et domum Dei in speluncam latronum convertit? Igitur etc.

11. Publice excommunicatum debemus sine denunciacione sui superioris vitare, de sen. ex. Cum non ab homine,<sup>4)</sup> cur non hereticum publicum, cum et ipse excommunicatus sit, de here. Excommunicamus? Ymmo et ante excommunicacionem illam generalem in hereticos canone latam eos vitare tenebamur ex iure divino dicente beato Johanne apostolo in 2. epistola sua: „Omnis qui recedit et non permanet in doctrina Jesu Christi, hic Deum non habet.“ Et post pauca: „Qui enim dicit illi ‚Ave‘, communicat operibus eius malis.“<sup>5)</sup> Que verba exponens venerabilis Beda dicit de scismaticis et hereticis vitandis ea esse

<sup>1)</sup> c. 23, X, 1, 6.

<sup>2)</sup> c. 5, X, 2, 13.

<sup>3)</sup> c. 6, X, de immun. eccles., 3, 49.

<sup>4)</sup> c. 14, X, 5, 39.

<sup>5)</sup> V. 9.

scripta, 24. q. 1. Omnis,<sup>1)</sup> ubi et narrat de eodem beato Johanne, quod cum apud Ephesum balnea fuisset ingressus et vidisset ibi Cherinthum hereticum, exiit continuo et discessit non lotus dicens: Fugiamus hinc, ne balnea ipse corruant, in quibus Cherinthus lavatur inimicus veritatis. Narrat etiam ibidem de beato Policarpo beati Johannis discipulo, quod Marcionem hereticum sibi occurrentem noluit salutare, sed cum Marcionem beato Policarpo dixisset: Agnosce nos, respondit: Agnosco primogenitum Sathane.

[fol. 127 r<sup>o</sup>] 12. Quid est sententiae prolatio, nisi rei dubie nobis facta cercioracio? Sed eum qui certus est ulterius cerciorari non oportet, de re iu. Eum qui li. VI.<sup>2)</sup> Cum ergo defectus huius hominis certo cercius novimus, quid adhuc aliam cercioracionem requirimus?

13. Crimina undecumque claruerint punienda sunt 24. q. 3. Ecce,<sup>3)</sup> et qualitercumque puniantur, hoc solum bene agitur, ut vita hominum corrigatur, 23. q. 5. Prodest,<sup>4)</sup> presertim si notoria sint, cum in illis nec accusacio nec denunciacio nec inquisicio requiratur, de accusa. Qualiter.<sup>5)</sup> Qualitercumque igitur a Gregorio recedamus in penam sui criminis notorii et publici, ut ipse ab eo desistat, licite agimus. Igitur etc.

14. Si obiecta Gregorio nec vera nec notoria essent, adhuc tamen, quia superiores sui in hoc facto ei amministrationem et nobis eius obedienciam interdixerunt usque ad diffinicionem concilii, ipse ab amministratione et nos ab obedientia eius abstinere debemus. Qui enim superioris ordinacioni resistit, Deo resistit, Ro. 13.<sup>6)</sup> Eciamsi iniuste hoc interdixissent, quia sententia pastoris etiam iniusta ligat, 11. q. 3. c. 1.,<sup>7)</sup> nec debet inferior propterea dimittere exequi mandata superioris, quia de iniusticia arguantur, de off. dele. Pastoralis in § Quia vero.<sup>8)</sup> Quod si iniuste sententiae obediendum est, multo amplius iuste, 86. di. Non satis.<sup>9)</sup> Sed sententia vel mandatum dominorum Cardinalium de hoc factum, factum est ab hiis, qui Gregorio superiores sunt in hoc facto, et iustissime factum est, ut patet<sup>10)</sup> ex proximis questionibus. Igitur etc. Nec obstat, si non utantur verbis illis dispositivis: Interdicimus, suspendimus etc., quia etiam per illa verba: Placuit, ut nullus eidem cummunicet, vel per illa: Scias te excommuni-

<sup>1)</sup> e. 24.

<sup>2)</sup> Reg. 31.

<sup>3)</sup> e. 18.

<sup>4)</sup> c. 4.

<sup>5)</sup> e. 24, X, 5, 1.

<sup>6)</sup> Rom. 13, 2.

<sup>7)</sup> c. 1 Sententia.

<sup>8)</sup> c. 28, § 3, X, 1, 29.

<sup>9)</sup> c. 14.

<sup>10)</sup> »Patet« durch die nachbessernde Hand eingefügt.

catum, quando proferuntur ab eo, qui iudex est, et de mente eius constat, quod per hec vel sibi similia excommunicare velit, sententia lata est, de iudi. c. 1,<sup>1)</sup> de ap. Preterea.<sup>2)</sup> Cardinales, autem satis per verba similia demonstrant, quod placeat eis, ut nullus eum interim pro papa habeat. Igitur etc. Ymmo et verbis satis dispositivis utuntur, cum dicunt: Notificamus etc, et quantum in nobis est, requirimus et monemus.<sup>3)</sup> Nam cum in eis ut in iudiciis peroptime sit ei administracionem et nobis illius obedienciam prohibere, ut patet in questione proxima, et ipsi, quantum in eis est, requirant et moneant, ne ei ut pape respondeamus in aliquo, satis constat de eorum prohibicione, maxime quia declarant ipsum in prohibicionem et suspensionem iuris iam cecidisse.

15. Si nec Gregorio administracio, nec obediencia eius nobis ab aliquo interdicta esset, adhuc obediendo ei communicaremus ei in suo dampnato crimine, quod nequaquam faciendum est. Assumptum probatur. Quid est enim crimen Gregorii, nisi non-cedere et non-cedendo antiquum scisma nutrire? Quid est autem non-cedere, nisi ut papam se habere, pro tali se gerere papalia exercere et papalia sublevare? Sed quis sublevat aut sumit aliquid ab alio nisi hoc illi detur ab eo? Nam si absque consensu eius hoc tollit, iam non sublevavit, sed rapuit. Ad sublevacionem igitur faciendam cum effectu alterius porreccio vel donacio requiritur, ut notum sit, quod is qui porrigit aut donat continuat in eodem actu et opere cum eo. Sed ecce Gregorius precipit sibi dari obedienciam, et damus; dari sibi papales honores et redditus et damus, et numquid non ei in crimine communicamus? Da oppositum et sequitur, quod nec excommunicate concubine clericorum eis in concubitu vel ipsi eis participant, nec doctor leges phisicam aut leges religioso eas ab illo audienti illi in audiendo communicet et per consequens nec culpam nec excommunicacionem incurrat, contra c. Si concubine de sen ex.,<sup>4)</sup> et ne cle. vel mo. Ut periculosa li VI., precipue in glo[ssa] super verbo „Dimisso.“<sup>5)</sup> Quid enim doctor plus facit, nisi quod hoc illi legendo porrigit, quod ille audiendo sublevare et percipere non debuit? Et tamen dicitur ei communicare in crimine. Quomodo non ita eciam erit in casu nostro presenti?

Confirmatur per glo[ssam] de here. Presidentes li. VI., ubi dicitur: Si quis excommunicatus est, quia iudicat, participantes

<sup>1)</sup> c. De quod vult deo. X, 2, 1.

<sup>2)</sup> c. 22, X, 2, 28.

<sup>3)</sup> Gemeint ist das Schreiben vom 1. Juli 1408 (Mansi, Concil. coll., 27, c. 46—49), worin sich die im Text angestrichenen Stellen finden (bei Mansi, eb., c. 47D und 48B).

<sup>4)</sup> c. 55, X, 5, 39.

<sup>5)</sup> c. 2, ne clerici vel monachi, 3, 24.

ei in iuridiccione, excommunicati sunt cum eo. Sic quia Gregorius est scismaticus pro eo, quia ut papa iudicat, scismatici sunt, qui ei in tali iuridiccione participant.

16. Exigens ab alio scienter iuramentum illicitum et ipse prestans, ambo periuri coram Deo sunt et in crimine participes, 17. [sic!] q. 5. Ille qui,<sup>1)</sup> et c. sequenti.<sup>2)</sup> Sic et exigens obedienciam reprehensibilem et scismaticam et prestans eam, ambo reprehensibiles et scismatici sunt et in uno peccato concurrunt, igitur ne scismati simus subtrahere nos huic viro debemus.

17. Nichil interest, iuxta beatum Bernardum, detractorem loqui et ipsum ab aliis libenter audiri; ambo criminis rei sunt et qui loquitur et qui audit.<sup>3)</sup> Quod enim ille dat et propinat, hoc iste sumit et bibit. Sumere ergo et propinare malum eiusdem facinoris est. Precipiens autem temerarie et obediens illi, in quo ab istis diferunt? Quod unus iubet alter adimplet, et quod unus iniuste mandat sibi ministrari, alter iniuste ministrat, ergo uterque peccat et alter alteri in scelere participat. Hinc est, quod precipiens iniusta et faciens, eadem pena ligantur, de sen. ex. Mulieres.<sup>4)</sup> Igitur etc.

18. Volentem manere in domo ruitura tenemur eciam invitum extrahere, volentem se precipitare tenemur eciam eum capiendo et ligando, si aliter fieri non potest, et tenerè et impedire. Volenti se gladio perimere tenemur gladium eciam per violentiam sanctam auferre, ut cum violentis regna celorum possideamus, eciamsi premissi hii omnes clerici vel episcopi vel pape essent, quia omnes proximi nostri sunt, alias crudeles iudicemur, 23. q. 4. Ipsa pietas,<sup>5)</sup> et c. Nimium.<sup>6)</sup> Concordat et auctor capitulorum eorundem, beatus videlicet Augustinus in libro de vita clericorum. Et Gregorium istum volentem se obedienciis nostris interimere et multos alios secum, debemus dimittere voluntati sue? Absit. Auferatur ergo ab eo eciam contradicente obediencie nostre gladius, ne se illo interimat et eo interempto temporaliter corruat super eum lapis ille angularis et fundamentum, Christus Jesus, cum toto domo sua, quam super se portat, hoc est, cum tota congregacione iustorum, et eternaliter conterat eum, Matth. 21.<sup>7)</sup>

19. Unicuique mandatum est de proximo et unusquisque tenetur diligere proximum, sicut seipsum. Sed pro salvacione sua propria unusquisque unum hominem eciam papam dimitteret et

<sup>1)</sup> Gemeint ist wohl c. 3 Ille qui, C. 22, q. 5.

<sup>2)</sup> c. 6 Qui exigit.

<sup>3)</sup> De consid., c. 13 (ed. cit. c. 432 A).

<sup>4)</sup> c. 6, X, 5, 39.

<sup>5)</sup> c. 24.

<sup>6)</sup> c. 37.

<sup>7)</sup> Matth. 21, 44.

dimittere deberet. Nil enim prodest homini, si totum mundum lucretur etc., de si Matheus.<sup>1)</sup> Igitur et pro salvacione pape debet. papam dimittere, et multo magis, ex quo in hac dimissione utro-  
rumque salus, hoc est, dimissi et dimittentis includitur.

20. Ad instar domini nostri Jesu Christi debemus animas pro fratribus ponere et propter Christum omnibus renunciare, [fol. 127v<sup>o</sup>] multo magis debemus ad instar eius obediencias, favores, adherencias et adhesiones unius temporalis viri relinquere et uni homini renunciare ipsum penitus non curando. Qui enim unum hominem plus diligit, quam Christum, non est eo dignus et qui non dimittit propter Christum hominem unum, quomodo pro eo dimitteret totum mundum? Ewangelia et scripture sunt note. Igitur etc.

21. Omnes sumus filii unius matris, que nos in Christo genuit, fovit et aluit, Virginis Matris Ecclesie. Igitur omnes tenemur eius honorem bonum et commodum procurare iuxta illud: „Honora patrem tuum et matrem tuam“ Matth. 15.<sup>2)</sup> Sed non est eius maior honor, bonum, commodum, decus et reverencia, quam reintegracio sua, ut clamat totus mundus. Igitur ad illam tenemur omnibus modis, quibus possumus. Sed per subtractionem obediencie hominis illius hoc facere possumus, igitur ad illam obligati sumus.

22. Eciam si iurassetus alicui obedire, adhuc intelligeretur tacita condicio si non ex rerum vel temporum forte mutacione vel alias obediencia ipsa ad peiorem exitum vergeret, 22. q. 2; Ne quis.<sup>3)</sup> Sic est in proposito. Igitur etc. Post creacionem enim Gregorii et assumptionem eius in papam tempora et res nimis mutata sunt, sed non mutacione dextere Excelsi, nisi permissive, cum ille, qui tunc paratissimus erat cedere, modo quasi furiosus effectus contumacissime hoc deneget et sequatur non tam malus, quam pessimus exitus, nutrimentum scilicet scismatis antiqui et multa alia. Recedendum est igitur ab eo maxime, quia cum<sup>4)</sup> nec iuramento sibi ad obedienciam simus astricti.

23. Non minus tenetur pater filium alere, quam inferior superiori obedire. Ambo enim ex dictamine recte rationis procedunt. Sed pater potest et tenetur filio alimoniam subtrahere, si eius occasione iusticiam negligit iuxta illud: „Utilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus iusticiam negligat, quam panis ei frangatur, ut iniusticie seductus acquiescat“, 23. q. 4. Nimium,

<sup>1)</sup> c. 23. X, 5. 3.

<sup>2)</sup> Matth. 15, 4.

<sup>3)</sup> c. 14.

<sup>4)</sup> Durch die nachbessernde Hand beigeetzt.

5. q. 5.<sup>1)</sup> Non omnis,<sup>2)</sup> igitur in eodem casu potest et debet subditus suo prelato obedienciam denegare. Sed sic est in casu nostro, in quo Gregorius propter nostram obedienciam negligit et contempnit rem optimam, iustissimam<sup>3)</sup> et necessariam, unire scilicet populum Domini. Igitur.

24. Non plus tenetur subditus superiori obediencie prestare debitum, quam unusquisque nostrum a lesione et presertim a verberacione cessare proximorum. Sicut enim tenemur illud implere: Quod tibi vis fieri, fac alteri, sic et illud: Quod tibi non vis fieri, non facias alteri, ut patet in principio decreti.<sup>4)</sup> Sed proximum nostrum et ledere et percutere sepe tenemur pro bono suo vel bono communi, igitur et Gregorio obedienciam denegare pro bono consimili. Melius est enim cum severitate diligere, quam cum levitate decipere, et meliora sunt vulnera amici, quam oscula blandientis inimici, 5. q. 5., et 23. q. 4, ubi supra.

25. Cum iam universalis Ecclesia de utraque obediencia et domus Domini de utroque pariete congregata velit decreverit [?] et necessarium esse reputet subtrahere se et a Gregorii et Petri de Luna obediencia propter summam necessitatem universe familie populi christiani et turpis sit pars, que suo non congruit universo, de spo. du. c. ultimo,<sup>5)</sup> quomodo a magni peccati turpitudine excusare nos possumus, si illis pie et necessarie recedentibus nos minime recedamus, nisi forte velimus illi esse, qui tam tenaciter inherent legis litere, ut zelum habentes non secundum scienciam, Paulo et suis segregatis a lege Moysi, nos adhuc illi velimus initi? Quod absit

26. Non tantum iniusta, sed et indiscreta obediencia Deo displicet, quia rationabile debet esse nostrum obsequium et honor regis iudicium diligit et ipse odio habens rapinam holocaustorum discrecionem ipsam matrem virtutum esse constituit, de con. di. 5. Non mediocriter,<sup>6)</sup> de off. cus. c. 1.<sup>7)</sup> Sed si nunc Gregorio obedimus ut heri et nudiustercius, indiscretissime et insipientissime obedimus, igitur ab obediencia eius nos subtrahere debemus. Quod autem nunc ei insipienter obediamus probatur. Insipienter obedit, qui non discernens causam, personam, locum et tempus, semper uniformiter obedire nititur et ideo in laborintum erroris decidens omnium infirmorum oculos uno collirio ad instar imperiti medici curare conatur. Insipienter obedit, qui plus persone pro-

1) c. 37.

2) c. 2.

3) Korrektur aus »iusticiam«.

4) Dict. Grat. a. c. 1, D. 1.

5) c. 5 Tuas, X, de sponsa duorum, 4. 1.

6) c. 24 de consecrat., D. 5.

7) c. Custos, X, 1, 27.

videns, quam Ecclesie, minus bonum maiori proponit. Insuper obedit, qui uni adherens et a multis se dividens uni sic parcit, quod cum uno plurimos in discrimen adducit. Insuper obedit, qui cum uno volens habere concordiam inter fratres innumeros discordiam seminat et in tunica Domini inconsutili, quam hucusque scindendo non tetigit, nunc uni obediendo foramen et scissuram parat. Per obedienciam autem nostram iam pejorem scissuram in Domini vestimento facimus, quam illi, qui hoc laceraverunt ab initio, cum illis tunc a nobis exeuntibus presumi potuerit scisma presens tunc recens et novum diversis modis extigwi[sic] potuisse. Nos autem experientia docente cognovimus, quod secundum maliciam dierum presencium absque subtractione nostre obediencie non sit domui Domini Dei salus, et illud unicum remedium, quod superest pro pace et reintegracione fidelium, calce abicimus, ut reputemur ipsum indumentum Domini per nos ipsos scindere, qui scissioni eius unica illa via qua est ei obviabile, contempnimus obviare. Potest quidem Deus aliis viis plurimis salutem et unionem suis dare fidelibus, sed quia via humana non potest competenter dari modus alius nisi iste istum respuendo, Deum forte et sine forte temptamus. Quod temptare, quia non tam indiscretum, quam iniustum est, procul a nobis abiciendum est.

27. Notum est eos contra legem facere, qui verba legis amplectentes contra legis faciunt voluntatem, de re. iu. in regula ultima li. VI.<sup>1)</sup> Sed certum est, quod si omnes legislatores simul venirent qui a mundi exordio leges et iura ediderunt et hunc articulum necessitatis inspicerent, omnes dicerent: Cum de bona fide agitur, nolimus, quod de apicibus nostrorum iurium disputetur, presertim in hoc necessitatis articulo, cui nec nos legem prefigere potuimus; ideo ab omnibus statutis, mandatis et prohibitionibus nostris, si que contra ipsum sunt, intelligatur exemptus et cum nostrae intencionis leges edendo nichil aliud fuerit, nisi ut subiecti nostri essent pacifici et modesti, ius suum unicuique tribuerent, malorum coherceretur audacia et tuta esset inter reprobos bonorum innocencia, et hoc aliter fieri non potest nisi per hoc unicum subtractionis et, ut ita dicam neutralitatis remedium si necesse est<sup>2)</sup> sic fieri, fiat.

[fol. 128r<sup>o</sup>] 28. Mulier, cui vir prohibuit eleemosinam dare, potest videre tantam miseriam pauperis, ut licite det cogitans et presumens, si vir ipse illam aspiceret, ei dare eleemosinam consentiret. In generali enim sermone non veniunt ea, que quis in specie verisimiliter prohibiturus vel confessurus non esset, de re.

1) Reg. 88.

2) Korrektur.

iu. In generali li. VI. Cur ergo et nos non presumemus hoc de nostris legislatoribus, quibus tamquam mulier viro inferiores sumus? Si viderent ipsi Ecclesie sancte presentem ignoranciam, erumpnam, miseriam et angustiam, non obstantibus omnibus suis statutis in oppositum vellent, faverent et consentirent esse ab ipso Gregorio discedendum. Igitur.

29. Licet iura prohibeant quedam vel iubeant, introducitur tamen contra illa sepe rationalis consuetudo etiam iuribus prevalens, de consue. c. ultimo et antepenultimo,<sup>1)</sup> et non alias, nisi per hoc, quod homines loci illius, in quo est consuetudo introducenda verisimiliter presumunt, si papa vel imperator sciret leges illas eorum non convenire patriae, oppositum earum eis faveret expresse. Possunt itaque in tali presumptione verisimili actus tot contra legem agere, quod etiam legem tollant. Quomodo igitur nos non possumus aut non debemus iam presumere esse de favore et voluntate legislatoris omnium, in hoc casu esse de Gregoriana obediencia recedendum, cum videamus, sciamus et senciamus, quod sub illa manere non expedit fidelium patrie et unioni Ecclesie, sine qua contempnentibus et negligentibus non potest salus esse.

30. Indiscrete est apud subditos prelatus et dominus, cum sue presencie nullus est fructus, 7. q. 1. Ibi<sup>2)</sup> adunati. Licite quippe eos tunc deserit, sicut Paulus et Barnabas, beatus Benedictus et multi alii suos deseruisse leguntur. Sed quia vir et uxor, prelatus et ecclesia non iudicantur ad imparia, de divo. Gaudemus,<sup>3)</sup> quomodo et subditi non viceversa irrationabiliter et indiscrete manent apud superiores suos, cum sue permansionis non solum nullus est fructus, sed et magnum dispendium? Concluditur ergo transeundum esse ab hiis sedibus et a Gregorio recedendum.

31. Sicut scribit Innocencius, de sen. ex. Inquisicioni,<sup>4)</sup> in illis mandatis pape, unde presumitur status universalis Ecclesie catholice perturbari vel impediri, vel unde verisimiliter presumuntur mala esse ventura, nullus debet obedire, ymmo potius hec mala impedire, quantum potest, quam obediendo iuvare. Faciunt textus et glo[ssae] 25. q. 1. Que ad perpetuam.<sup>5)</sup> In illis enim preceptis et ipse papa peccat, ut patet ibidem, et 9. q. 3. Per principalem<sup>6)</sup> Sed mandata Gregorii quecumque iam facit perturbant et impediunt, perturbare vel impedire presumuntur

<sup>1)</sup> c. 11 Cum tanto, und c. 9 Cum consuetudinis, 1, 4.

<sup>2)</sup> c. 49 »Ibi« durch die nachbessernde Hand beigefügt.

<sup>3)</sup> c. 8, X, 4, 19.

<sup>4)</sup> c. 45, X, 5, 39.

<sup>5)</sup> c. 3.

<sup>6)</sup> c. 2.

universalem statum Ecclesie, unitatem videlicet eius sub uno sponso; in illo enim statu status totus Ecclesie consistit et si ei obeditur, mala infinita exinde sunt ventura, induracio videlicet et prolongacio antiqui scismatis cum sequelis suis. Igitur omnibus modis ob obediencia eius est cessandum.

Priusquam hanc questionem solvam protestor, quod quidquid de scismaticis aut hereticis, de eorum auctoritate vel auctoritatis nullitate, de eorum eciam vitacione vel tollerancia in hoc libello scripsi vel adhuc scribam, totum de Latinis intelligo. De scismate enim Grecorum hac vice dicere nolo. Qui qualiter in suo antiquo scismate tollerentur et quam potestatem habeant, novit ipsa que tollerat eos Ecclesia. Hoc premisso pono primam conclusionem.

Conclusio 1. Mandatis hereticorum, quos nullus legitimus iudex iudicialiter vel extrajudicialiter sententia notavit vel notatos esse declaravit, interim quod ab Ecclesia tollerantur, in civilibus et prophanis causis possumus obedire, non eo tamen animo vel fide, quasi ipsi quidquam percipere habeant, sed eo animo, quo eciam preceptis proximorum vel inferiorum nostrorum iuterdum obtemperamus, quamvis non teneamur, et presertim tunc, cum timemus, ne nobis non obedientibus maiora mala sequantur. Sic factum est a pluribus sanctis tempore Juliani et quorundam aliorum, ut superius ostensum est. Nec mirum, si talia uno animo recipimus et non alio, quia et ydolis ymmolata comedere possumus, dummodo non credamus eis ex hoc aliquam inesse virtutem, et ante perfectam publicationem Ewangelii legalia quedam a sanctis voluntarie servata sunt, non tamen eo animo, quod reputarent ea esse de necessitate salutis. Et hanc conclusionem de mandatis eorum civilibus intelligo, sive ipsi publici sint, sive occulti. In spiritualibus autem, si omnino occulti sunt, quod heresis eorum nec evidencia operis, nec teste, nec fama probari potest, idem servabitur; sin autem nullo modo ante sententiam finalem vel purgacionem eorum recipienda sunt. Facit glo[ssa] secunda, 24. q 1. c. 1.<sup>1)</sup>

Ex hac conclusione infero corolarium. Ex quo Gregorius de heresi diffamatus est apud bonos et graves, quinymo in illa notorius est notorietate saltem presumpcionis et ab Ecclesia minime tolleratus, quod constat ex eo, quod domini Cardinales, qui vicem Romane tenent ecclesie, in hoc facto eidem obedienciam subtrahunt et ultra hec omnia eciam ab ipsis per sententiam est ab amministrazione suspensus vel suspensus esse declaratus, mandatis eius nec spiritualibus nec temporalibus obediendum est, nec eo animo quod auctoritatem precipiendi habeat. nec alio, sed cum dampnato ad tempus auctore dampnanda sunt ad tempus, ad

<sup>1)</sup> c. Acacius.

tempus videlicet diffinicionis ipsius concilii contra eum congregandi. Incidental[is] [?] <sup>1)</sup> q u e s t i o. Incidenter quero, quis excommunicatorum, a iure suspensorum, vel interdictorum, censendus sit ab Ecclesia tollerari, cum hii omnes ab ea iam videantur prescisi quo ad omnia vel quo ad multa. Respondeo. Ille tolleratur, qui nec ab ecclesia Romana, nec metropolitana, nec cathedrali, nec a communi clero loci eius quem inhabitat, ante denunciacionem de eo factam reicitur aut vitatur, quamvis notorium sit eum tale quid fecisse propter quod sit iam a iure proiectus et ab homine per sentenciam declarandus. Dixi illum tollerari, qui ab Ecclesia Romana non reicitur etc.; nam si ab illa reiceretur eciam a nullo denunciatus aut declaratus, ab omnibus vitari et reici deberet, 93. di. Miratus,<sup>2)</sup> et c. precedenti. Item si Ecclesia Romana per ignoranciam facti vel per dissimilacionem aliquem talium non vitaret, si reicitur et vitatur a metropolitana ecclesia, vitandus et reiciendus est. Facit 12. di. De hiis<sup>3)</sup> [sic], de postu. pre. c. 1.<sup>4)</sup> Item si metropolitana eodem modo eum non vitaret, sed cathedralis, vitandus est; non enim licet a capite membrum discedere, [fol. 128 v<sup>o</sup>] de prescrip. Cum non liceat. Item si hec omnes ecclesie eum non vitant vel reiciunt per ignoranciam facti etc.; clerus tamen qui in loco illo habitat, eum pro excommunicato, quamvis non denunciatum, pro maiori parte habet, minor pars eum sequi tenetur et eum pariter pro tali habere; conformare<sup>5)</sup> enim nos debemus moribus eorum, inter quos vivimus, 12. di. Illa,<sup>6)</sup> 42. di. [sic] Quisquis.<sup>7)</sup> Et tali modo intelligendum existimo c. Cum non ab homine, de sen. ex. in primo responso. In publico enim facto, ex quo quis excommunicacionem incurrit, denunciatio non requiritur, nisi per ecclesiam adhuc tolleretur. Faciunt ad hec multa iura, quem communem existimacionem hominum veritati preferunt. Facit ad hec generalis observancia, que optima est interpret legum. Faciunt ad hoc multa vitanda pericula animarum, que sequerentur ex rigore servato in oppositum. Nam cum totus mundus per ius commune et per statuta localia plenus sit excommunicacionibus et interdictis personarum et locorum, que excommunicaciones et interdicta pro bono ecclesiarum et clericorum inventa sunt, quid necesse est hoc militare contra clerum, quod est pro eius commodo institutum? Cooperatur

<sup>1)</sup> Am Rande geschrieben.

<sup>2)</sup> Durch die nachbessernde Hand aus »Miramur« korrigiert in »Miratus« c. 2; das vorhergehende c. heist »Si inimicus«.

<sup>3)</sup> c. 13 De iis.

<sup>4)</sup> c. Ad haec, X. 1, 5.

<sup>5)</sup> Korrektur.

<sup>6)</sup> c. 11.

<sup>7)</sup> Gemeint ist wohl c. 1 Quisquis D. 41.

glo[ssa] in cle. Gravis de sen. ex. super verbo Suppositis,<sup>1)</sup> et ea que ibi notantur.

2<sup>a</sup> conclusio. Nunc aliam conclusionem pono. Si prelati nostri sunt criminosi et peccatores, et obediencias suas aliaque iura a nobis petunt, si petendo non peccant, eis obedire et iura sua dare tenemur, nisi in casibus certis hoc iura prohibeant, vel nisi obediendo et dando eis quod eorum est, ipsos ad solum peccatum certitudinaliter et directe iuvemus, vel causa rationalis subsit, cur eis talia subtrahamus. Si autem peccatores sunt et petendo peccant, obedire eis et sua reddere non debemus, nisi expresse hoc nobis permissum in scripturis inveniamus. Exemplum primi. Prelatus meus adulter vel periurus est et forte de hoc accusatur iudicio vel non; si petit redditus suos, petendo non peccat, quamvis adulterando peccavit, et reddere debeo, nisi in casibus superius expressatis. Exemplum secundi. Prelato meo interdictum est, ne redditus suos sublevet ad tempus et a me illos petit et reddere non debeo, nisi in casibus ut supra. Racio primi, quia licet obediencia sit virtus precipua et melior quam victima, tamen quia de preceptis affirmativis est, que non obligant ad semper, ideo a non obediendo sepissime excusamur, presertim cum obediencia nostra ad peyorem exitum vergit. Racio secundi, quia cum preceptum de non peccando, vel de non communicando peccato alieno de negativis sit, obligat ad semper, nisi auctoritate legis hoc factum pro tempore excusetur, 23. q. 3. [sic]. Qui peccat.<sup>2)</sup> Nec excusaret nos in communicacione criminis alieni intencio bona vel iocosa, nisi a scripturis fuerit excusata, facit c. 1 de presump.;<sup>3)</sup> ideoque si non sunt facienda mala, ut eveniant bona, multo minus facienda sunt, ut mala suum consequantur effectum. In primis igitur illa regula locum habeat: Quidquid non est prohibitum intelligitur esse concessum, de spo. Cum apud;<sup>4)</sup> in secundis illa: Quod non est iure sancitum, non est supersticiosus adinventionibus presumendum, de trans. pre. Inter corporalia.

Corolarium 2<sup>m</sup>. Ex hiis infero corolarium 2<sup>m</sup>. Ex quo Gregorius in hoc peccat, quod non cedit, quod pro papa se gerit, quod papalia sibi dari praecipit et in omnibus preceptis suis ad hoc suum peccatum tendit, ut pro papa habeatur, in preceptis suis ei<sup>5)</sup> obediendum non est, quia preceptis suis peccatum annexum est; eo enim ipso peccat, quod sibi ut pape talia vel talia fieri mandat.

<sup>1)</sup> c. 2, 5. X in Clem.

<sup>2)</sup> Gemeint ist wohl c. 40 Qui peccat, c. 23, qu. 4.

<sup>3)</sup> c. Sicut noxius, X, 2, 23.

<sup>4)</sup> c. 23. X, 4, 1.

<sup>5)</sup> Durch die nachbessernde Hand beigefügt.

His premissis venio ad solutionem questionis.

Solutio. A Gregorio subtrahere nos debemus de necessitate salutis.

Ad argumenta in oppositum respondetur.

Ad argumenta 1. 2. 3. 4. et 5. In omnibus illis iuribus, quamvis prelati essent mali et peccatores, tamen petendo obediencias suas et iura sua in nullo peccaverunt, ut hic. Igitur etc. Preterea aliud est lite pendente aliquid innovari, aliud in crimine non communicare, aliud proprio motu obedienciam denegare, aliud hoc facere post sequestracionem iudicis et interdictum. Aliud possessionem et fructus et obediencias per accusacionem criminis prelato auferre in perpetuum, aliud ad tempus, videlicet ad sentenciam litis vel usque ad tempus aliud a iure prefixum. Quid enim si episcopus meus lite pendente contra eum publice excommunicatur, numquid propter litis pendenciam sibi taliter excommunicato obediam? Absit. Item quamvis regulariter lite pendente non sit alicui eciam ad tempus sua spiritualis possessio vel obediencia<sup>1)</sup> auferenda, fallit tamen in multis casibus, ut quando medio tempore sequestratur fructus, vel ipse qui accusatur, est hereticus notorius aut presumptus aut de tali crimine apud bonos et graves diffamatus. Ad facta autem Sýmachi superius sepe responsum est, quamvis et illi, eciamsi hereticus fuisset, minus peccatum fuisset obedire quam Gregorio pro eo quod peccatum suum non consistebat in precipiendo, vel non cedendo, sed in articulo quodam alio. Quid enim si non credidisset Christum natum ex Maria Virgine et tamen ut papa precepisset? Obedientes ei in papalibus per hoc non consenciebant suo errori. Secus est hic de facto Gregorii, cuius error, peccatum et nutrimentum antiqui scismatis in hoc consistit, quia pro papa se gerit, gerendo precipit et precipiendo papalia tollit.

Vel responde divisim ad singula.

Ad primum. Dic. Non debet lite pendente fieri innovacio, tamen nec debet fieri peccati alieni communicacio, ymmo prohibicio. Igitur.

Ad 2<sup>m</sup>. Dic. Dignitate sequestrata sequestratur et obediencia, in c[apite] autem Olym papa non sequestravit abbaciam ab abbate. Igitur etc. De quo plenius vide supra in questione 8 in solutione argumenti 3<sup>i</sup>. Aliter. Ammonendi sunt subditi ita prelati subici, ut non cogantur eciam eorum crimina venerari, 2. q. 7. Admonendi. Aliud igitur est in licitis et honestis obedire abbati, aliud Gregorio in mandatis suis que eo ipso illicita sunt, quo ab ipso, qui ea facere non potest aut debet, fiunt.

<sup>1)</sup> Korrektur aus »audiencia«.

Ad 3. De Symacho dic ut supra in questione 4, in solutione argumenti 4<sup>ti</sup> et quinti.

Ad 4. Dic auctoritatem Salvatoris et Petri intelligi, quando prelati sunt mali, sed tamen precipiendo vel sua petendo mali non sunt, nec peccant. Sed in proposito malicia Gregorii in hoc consistit, quod ut papa precipit et ut papa quedam petit.

Ad 5. Dic: Saul et David non peccaverunt in hoc, quod iudicaverunt, plebem Domini aut eis precepta fecerunt, sed in quibusdam aliis. Gregorius autem iudicando ut papa, precipiendo, monendo, petendo et aliqua sublevando ut papa delinquit. Igitur Israhelitae obedientes Sauli et David non peccaverunt, quia eis in crimine non communicaverunt, de obedientibus autem Gregorio secus est, ut patet de se. [fol. 129 r<sup>o</sup>.]

Ad 6. Dic vitari in divinis vel in missis fornicatorem publicum, non est ideo speciale in eo, quasi<sup>1)</sup> illud in nullo alio inveniatur, sed ideo, quia non in omnibus peccatoribus invenitur, in multis autem, qui inveniuntur sparsim in corpore iuris, quorum unus est hereticus publicus vel de heresi diffamatus. Alter. Illa capitula: de eo. cle. et mu. Vestra, et c. ultimo in nullo hiis contradicunt, quia in alio casu loquuntur. Ibi queritur de abstinentia divinorum que divina celebrant fornicatores publici, hic de abstinentia mandatorum, que faciunt heretici. Aliud est celebrare et aliud precipere, cum multi celebrent, qui nichil precipere habent. Et ideo eciam hoc si specialissimum esset in fornicatore publico quod missa eius non deberet audi, per hoc tamen non probatur, quod mandatum heretici vel eius, qui mandando peccat debeat recipi.

Ad 7. Dico. Quidquid sit de illo puncto, an decimas personales dare debeam plebano meo symoniaco in ordine suscepto vel notorio fornicario, de quo ibidem in c. Tua nobis de deci., tamen quia de decimis predialibus non vertitur in dubium, nec de aliis plebanis aliis criminibus irretitis, dico si plebanus meus usurarius est, periurus, fur aut adulter, tamen non peccat sua repetendo nec ego sibi dando: dare igitur teneor. Non sic est de Gregorio, cuius peccatum in hoc consistit, quid a nobis ut papa quidquam petit. Ceterum licet plebano meo propter peccata sua non possim oblaciones, decimas, census et iura sua subtrahere, quia potest illa expendere in alios bonos usus et non in illos malos, de quo ego non habeo divinare, si tamen certus essem, quod cum oblacione unius grossi vel denarii,<sup>2)</sup> quam sibi facio eciam ex debito, infallibiliter peccatum patraturus esset forte daturus illum denarium nuncio, qui sibi concubinam procuraret,

<sup>1)</sup> »Qu.« ist Korrektur.

<sup>2)</sup> Von der nachbessernden Hand darüber geschrieben: »[ertonis]«.

non deberem sibi dare. Similiter si tenerer ei ex fundacione, privilegio vel consuetudine certo die gladium offerre, eciam si iurassem fundacionem, privilegium vel consuetudinem servare, et scirem, quod mox cum illo gladio occisurus esset proximum suum, dare non deberem, 22. q. 2. Ne quis, ymmo si dedissem, deberem ei reauferre, si possem, ne non-auferendo crimini suo, quod impedire potuissem et non impedivissem, consentire viderer. Teneor enim iniuriam proximi propulsare ut propriam, de sen. ex. Dilecto li. VI.<sup>1)</sup> Non obstat c. Tua nobis, quia aliud est denegare plebano obedienciam, et iura sua in penam sui criminis, aliud in subtracionem iniqui iuvaminis. Facit c. Vestra de co. cle. et mu., ubi aliud est a missa publici fornicatoris abstinere eo animo quasi credatur esse polluta, aliud eo animo, quod per hoc ad penitentiam inducatur. Sane si unum fertonem vel grossum dare plebano meo pro suo censu teneor et scio quod partem bene, partem male consumpturus est, nescio tamen, quam bene, vel quam male, propter malos bonos, propter edos agnos non deseram, propter pisces reprobos recia non rumpam, propter vasa fictilia aurea non relinquam, 23. q. 7. c. 1.<sup>2)</sup> 24. q. 1. Quisquis.<sup>3)</sup>

Ad 8. Dic. Quilibet presumitur bonus, nisi ex signis appareat malus. Sic est hic. Igitur.

Ad 9. Dic. Etsi Gregorius reputetur bonus ab aliquibus sibi adherentibus, hoc non sufficit. De quo dic ut supra in q. 4 in notabilibus, corolariis et aliis ibi scriptis.

Ad 10. Die verum est, quod sententia est necessaria quoad electionem alterius, sed non quo ad recessum ab ipso faciendum. De hoc supra in questione 6 in solucione argumenti undecimi.<sup>4)</sup>

Ad 11. Dic. Salomon et Achab non peccaverunt in hoc, quod rexerunt gentem Israeliticam, sed in illo, quod edificaverunt phana idolis vel ea adoraverunt vel adorari fecerunt aut promiserunt nec tenebantur renunciare dignitati sue regali, sicut Gregorius papali, cuius peccatum in hoc directissime consistit, quod pro papa se gerit, nec veram poenitentiam potest agere, nisi renunciat, et ante et post renunciacionem a papalibus absteineat. Similiter et scribe et pharisei non peccaverunt in hoc, quod Domini populo pefuerunt, sed quia Christum contempserunt, nec tenebantur cathedram Moysi dimittere, sed Ewangelijs suscipere veritatem. Tunc eciam illa rigorosa scripta nondum publicata fuerunt, que a scismatis et hereticis recedendum esse statuunt. Julianus eciam et sui similes non peccaverunt rempublicam administrando, sed fidem persequendo vel deserendo. Peccatum

<sup>1)</sup> c. 6, 5, 11 in VI.

<sup>2)</sup> c. Quicumque.

<sup>3)</sup> c. 38

<sup>4)</sup> »Undecimi« durch die nachbessernde Hand beigelegt.

autem Gregorii, sive heresis sit sive non, est precise in amministrazione papalis dignitatis. Igitur multum aliter quam ibi. Preterea Julianus et sui, quamquam publici essent, tamen nulla adhuc fuerunt sententia hominis ligati vel declarati et cum hoc ab Ecclesia tollerati, ideo in solis civilibus vel criminalibus preceptis suis audiebantur a christianis, non tamen eo animo, quasi ipsi precipiendi auctoritatem haberent, sed alio. De Gregorio autem totum secus est. Igitur etc. De hoc eciam videre potes supra in questione 6. in solutione argumenti 3.

Ad 12. Dic. Beatus Bonifacius illis pseudoeπισcopis communicavit. Non tamen legitur, quod eorum mandata susceperit. De quo casu iam queritur. Sed quamvis mandata alicuius suscipiens sibi nonnumquam communicare censeatur, non tamen omnis communicatio est mandatorum susceptio. Dic igitur, quod hanc communicationem, sed non in crimine eorum, sicut iam est de communicantibus Gregorii, beatus Bonifacius fecit compulsus necessitate ecclesiarum sibi commissarum, ut patet in capitulis pro parte contraria allegatis 11. q. 3. Antecessor, et c. se[quenti]. Pro salute autem ipsorum hereticorum vel scismaticorum propria vel necessitate ecclesiarum nostrarum eis communicare possumus extra divina, sed non recipere eorum mandata tamquam auctoritatem habentia. Possumus, dico, eis tunc communicare extra divina, eciam si iam excommunicati per hominem essent vel denunciati vel eciam per Ecclesiam minime tollerati. Sunt enim illi casus speciales cum quibusdam aliis a iure exceptis, propter quorum exceptionem regula ipsa generalis in oppositum minime viciatur.

Ad 13. Dic Turpius eicitur, quam non admittitur hospes, de iu. iu. Quemadmodum.<sup>1)</sup> Quamobrem non est mirum, si hereticum re iam habita penes se non privamus ante declarationem iudicis, sed habenda sibi<sup>2)</sup> denegamus. Item hereticus [fol. 129<sup>v</sup>], sive peccet sive non, bona sua ipso iure confiscata usque ad declarationem iudicis possidendo, notum est tamen, quod in hoc heresis sua vel error principalis non fuit, quod bona aliqua haberet. Error autem Gregorii in hoc principaliter consistit, quod de papalibus non abstinens se de eis intromittit. Nullus igitur sibi in hoc communicare debet.

Ad 14. Symonia proprie non<sup>3)</sup> dicitur heresis, sed improprie et large, et<sup>4)</sup> dicitur heresis primo iuxta Innocencium de sy. Quociens, quia illi qui credunt pertinaciter Spiritum sanctum vendi posse et res sacras, heretici sunt. Sed quia iuxta hoc omnis

<sup>1)</sup> c. 25, X, 2, 24.

<sup>2)</sup> »Sibi« beigefügt.

<sup>3)</sup> »Non« Korrektur.

<sup>4)</sup> »Et« Korrektur.

adulter et fur, qui pertinaciter credit se licite posse adulterari vel furari, eciam est hereticus, et ideo de symonia hoc specialiter non diceretur, quod heresis esset. Ideo aliter respondendum est. Symoniaci itaque dicuntur heretici, quia Spiritui sancto maiorem faciunt iniuriam et ignominiam et eum vilipendunt, plusquam<sup>1)</sup> nonnulli hereticorum. Macedonii enim dicunt Spiritum sanctum esse minorem Patre et Filio et esse eorum servum. Symoniaci autem, quia vendunt et emunt eum vel eius dona, et illa que ipse sacravit, faciunt, ac si reputarent eum esse servum suum et minorem se, id est ipsis vendentibus vel ementibus, Quidquid enim vendo vel emo, bovem, equum vel asinum, hoc minus me estimo et mihi subiectum iure dominii, vel subiciendum. 1. q. 1. Eos qui<sup>2)</sup>. Quinymmo vendentes eum estimant eum minorem pecunia, pro qua vendunt; libencius enim volunt pecuniam habere, quam illud quod vendunt. Secundo modo dicuntur symoniaci heretici propter primitivos symoniacos, qui heretici fuerunt. Nam, ut legitur in ecclesiastica hystoria, discipuli Symonis magi, una cum symonia quam commiserant, eciam ymaginem ipsius Symonis colebant et venerabantur ut Deum. Sunt ergo symoniaci heretici, qui sunt illorum hereticorum in symonie crimine successores. Tercio modo dicuntur symoniaci heretici in detestacionem et exaggeracionem criminis, quoniam valde magnum est, et tam magnum, quod alia eius comparacione pro nullo reputantur, de sy. Per tuas<sup>3)</sup>, 1. q. ult. c. ultimo<sup>4)</sup>, ubi de hoc dicitur. Ergo symonia heresis improprie et non proprie, large et non stricte, ut habetur in glo[ssa] 79. di. Si quis.<sup>5)</sup> Stricte autem et proprie ille est hereticus, qui male et pertinaciter sentit de articulis fidei, sacramentis Ecclesie, auctoritate, doctrina et determinacione eius, de here. q[ua]si per totum. Hiis tamen non obstantibus, quamvis symonia et multa alia, que enumerantur in glo[ssa] 24. q. 3. in § Quia vero,<sup>6)</sup> heresis large et improprie dicantur, de ea tamen si publica est, et si de ea papa incorrigibilis est, et de ea scandalum nascitur in Ecclesia, papa potest corrigi, accusari et deponi. De hoc tamen vide plenius in solutione argumenti sequentis.

Ad 15. Dic. Publica et incorrigibilia et alios scandalizancia crimina dicuntur heresis in et propter detestacionem, magnitudinem et horrorem eorum, quia et eorum respectu ea que occulta et corrigibilia vel sine scandalo sunt, quasi nihil sunt.<sup>7)</sup> Fateor ergo,

<sup>1)</sup> Korrektur aus »quam«.

<sup>2)</sup> c. 21.

<sup>3)</sup> c. 32, X, 5, 3.

<sup>4)</sup> c. 27 Patet, C. 1, qu. 7.

<sup>5)</sup> c. 1.

<sup>6)</sup> Dict. Grat. ante c. 26.

<sup>7)</sup> »Qu. n. s.« durch die nachbessernde Hand beigelegt.

quod propter alia peccata mortalia papa deponi potest, dummodo hec tria concurrant: notorietas, incorrigibilitas et scandalum quod operantur. Expedi enim tunc molam asinariam gravem, videlicet deposicionis sue sentenciam in collum eius poni et ad profundum poenitencie vel carceris demergi. Et si dicitur: Ergo nichil est speciale in heresi quoad deposicionem papalem, negatur consecuencia. In illa enim et pro illa, eciam si occulta et sine scandalo sit, dummodo probari possit, accusacio et deposicio contra eum procedit et sic intellige glo[ssam] et ibi notata 40. di. Si. papa.

Ad 16. Dic. Non est necesse iudicibus, ut semper utantur talibus verbis dispositivis: Excommunicamus, interdicimus. Sufficit quod utantur aliis equivalentibus, dummodo per illa constet de eorum intencione, quamvis et domini Cardinales verbis satis dispositivis usi sint in literis suis, ut patet eas inspicienti, ut patet eciam supra in argumento 14 huius questionis, quod fuit inductum pro parte affirmativa.

Ad 17. Dic. Omnia que in hoc argumento allegantur, permittuntur expresse in scriptura tamquam minora mala pro vitandis maioribus, sive in una eademque persona, sive in alia. Et quamvis una persona minus malum facere non debeat, ut alia maius malum evitet, 14. di. Quod ait,<sup>1)</sup> fallit tamen hec regula, ubi scripturarum auctoritatibus propter maiora mala in aliis vitanda sunt nobis minora permissa, vel saltem cooperacio vel auxilium ad aliena minora, sicut patet in exemplis, que in hoc argumento allegantur. Facit glo[ssa] 1. in fine sui ne cle. vel mo. Non magno<sup>2)</sup> Et tunc qui aliquid talium facit iam non peccat, 23. q. 4. Qui peccat,<sup>3)</sup> 33. q. 5. c. penult. et in c. Manifestum est.<sup>4)</sup> Hec tamen ad consequenciam trahi non possunt in casibus aliis a iure non expressis, de re. iu. Que a iure li VI.

Ad 18. Dic, quod illi casus sunt multum dissimiles casui nostro. Primo, quia qui iurat religionem ingredi infra certum tempus, non iurat per hoc simpliciter se velle absentare a seculo, sed hoc venit bene per modum accessorii, videlicet si ingressus fuerit, quod extunc non velit in seculo sine licencia inveniri. Ponamus enim, quod infra tempus illud non ingreditur, adhuc potest in seculo comedere et bibere, dummodo comedendo et bibendo disponat se, quod votum suum perficiat, dummodo comedendo et bibendo voto suo impedimentum non interponat. Sic est de eo, qui iuravit infra certum tempus resignare dignitatem suam et iste potest post tempus neglectum adhuc intromittere de amministrazione officii sui, dummodo intromittendo se disponat

<sup>1)</sup> c. 1.

<sup>2)</sup> c. 3, X, 3, 50.

<sup>3)</sup> c. 40.

<sup>4)</sup> Das ganze letzte Zitat durch die nachbessernde Hand beigefügt.

se sine fraude et sine impedimento ad perficiendum quod vovit. Isti enim iuraverunt talia, ad que et ad quorum sequelas non essent alias lapso predicto tempore obligati. Non sic de Gregorio, qui iuravit infra annum cedere, cuius cessionis sequela est a papalibus abstinere, ad quam abstinenciam iam anno elapso ipso iure tenetur. Nam iuxta casus posicionem teneretur [ad eam, si numquam iurasset. Ex quo enim Cardinales amborum collegiorum iam simul volunt et possunt de unica eleccione unici Romani pontificis cogitare et providere et sine sua cessione et abstinencia ab amministrazione hoc non potest celeriter et convenienter fieri, ut patet supra in questione 2, ipse et cedere iuxta primam questionem et abstinere ab amministrazione ante cessionem iuxta 2. questionem tenetur. Quod si episcopus aliquis ex debito teneretur cedere et abstinere ab episcopalibus, utpote quia minus canonicum<sup>1)</sup> ingressum habuit et ideo iuravit se renunciaturum infra certum tempus et non fecit,<sup>2)</sup> adhuc est casus valde dissimilis. Ibi enim non est periculum universalis [fol. 130 r<sup>o</sup>] scismatis, sicut hic. Ibi contra non cedentem et non abinentem multis aliis modis occurri potest, ut et providiatur sibi et Ecclesie; hic vero non. Cum hoc tamen bene stat, quod si esset notorium episcopum meum<sup>3)</sup> nullum ius habere, sed esse intrusum, vel tyrannum in ingressu et per consequens amministrare non posse, quod ego non tenerer ei obedire. Faciunt notata 12. q. 1. [sic] Alienationes,<sup>4)</sup> de elec. Transmissam.<sup>5)</sup>

Posset adhuc formari questio 12, an hii qui obedienciam Gregorio non subtrahunt, heretici vel scismatici cum eo sint, saltem presumpti, sed supersedeo huic questioni. Tum quia sufficit eos peccare, tum quia de hoc sepe tactum est in argumentis questionum precedencium, tum quia in tanta multitudine ab eo nondum forte recedencium aliqui obmittunt hoc per ignoranciam facti, aliqui per ignoranciam iuris, aliqui certificati per suos superiores et doctores, ut recedant alii non, alii animo pertinaci, alii animo corrigibili. Tum quia de iudicanda omnimoda pertinacia certa non potest dari regula ut supra in questione 4. Hoc solum concludendum esse video quod nos qui ordinem rei geste scimus aut scire deberemus obligati sumus, ut ab eo discedamus et ab eo discedendum nostris legitime intimemus, tum quia in nutrimentum antiqui scismatis incidit et ideo se ipsum ab amministrazione suspendit, tum quia a dominis Cardinalibus concilium contra eum convocantibus amministrazione sua sibi satis interdicta

1) Korrektur.

2) Korrektur.

3) Korrektur aus »eum«.

4) c. 37, c. 12, qu. 2.

5) c. 15, X, 1, 6.

existit, tum quia a dominis Cardinalibus iam quoad obedienciam derelictus dici non potest amplius ab Ecclesia tolleratus, tum quia in eo quod ut papa precipit peccat graviter et inveteratum scisma nutrit et sic obedienciam ei ut preceptorum communicant in crimine sibi.

Hiis sic stantibus, quid michi et tibi superest, anima mea, nisi ut fugiamus a facie arcus, transeamus de his sedibus non tam usquequaque passim indifferenter aut simpliciter mutando locum sed auscultacionis nostre obtemperacionisque subtrahendo solacium? Impio non demus auxilium, nec hiis, qui contra Dominum sunt, amicitia iungamur, ut virum hunc pestilentem nostris lactemus uberibus aut nostris obedienciis in suo flagicio foveamus. Nec timeamus a timore nocturno, qui propter recessum ab eo faciendum superventurus dicitur universo mundo. Beati enim, qui persecucionem paciuntur propter iusticiam et qui propter veritatem et testimonium quod habent in corde, voce et opere animas suas eciam usque ad mortem inclusive minime dilexere! Non timeamus utique a nocturno isto timore, quia post noctem hanc et tenebras, ymmo per noctem hanc et tenebras rursum lucem nobis eventuram speramus; per hec enim adversa, bella et prelia ad pacem, per hec amara pocula pervenitur ad salutem. Propter desideratam sanitatem non respuimus pocionem amarissimam et propter optatam et affectatam Ecclesie unionem abhorrebimus unam noctem tenebrosam? Dabit Deus per et post lacrimas exultacionem et gaudium, dabit per et post tempestatem magnam statum Ecclesie sue tranquillum. Non timeamus ergo. Quomodo enim timeremus, cum illa non abbreviata manus Domini possit non solum per et post profundas noctis tenebras lucem reddere, auroram refundere et claros solis radios restituere universe terre, sed et ipsam noctem in lucem commutare? Nonne legisti: „Et nox sicut dies illuminabitur et nox mea in deliciis meis?“<sup>1)</sup> Tempus illud tenebrosum et nocturnum Deo operante nichil obscurum habebit, sed omnia eius in luce clarescent; potens est Deus eciam eo tempore, quo a viro hoc propter nomen eius fit discessio, dare pacem populo suo, ut nec mala bestia per hereditatem suam transeat, clero vel populo nocitura. Quomodo enim christiana plebs faceret, si ecclesia Romana, sicut aliquando factum est, longo tempore nullo<sup>2)</sup> in papam electo vacaret? Quomodo, si duobus in discordia et contra phas electis nullus eorum receptus esset a fidelibus pro vicario Salvatoris? Numquid non possunt per provincialia et synodalia sua concilia et statuta archiepiscopi et episcopi sibi mutuo prebere consilium, auxilium

<sup>1)</sup> Ungenaues Zitat aus Ps. 133, 11 b. 12 c.

<sup>2)</sup> Durch die nachbessernde Hand beigegefügt.

et favorem ad debellandam omnem inimici potestatem? Numquid non possunt congregati diversarum provinciarum metropolitani cum suis episcopis unum sibi primatem in hoc articulo necessitatis facere, se, suas provincias et dyceses [sic] sibi submittere, eum super se iudicem constituere, cum necessitas careat lege et summus pontifex submittat se alteri, quando hoc necesse est vel viderit expedire? Diverse sunt viae, quibus obviari potest medio tempore hiis, qui expugnare nituntur Israel, presertim cum tempus sit modicum ad futurum videlicet Pysanum concilium, in quo contra hunc morbum pestiferum nobis speramus et credamus saluberrimum esse remedium propinandum. Noli ergo merore vel pavore deficere, quasi consiliarius non sit tibi; cito veniet salus tua. Que etsi moram fecerit expecta eam quia veniens veniet et non tardabit. Veniet enim citius, quam tua requirant merita licet longa et dilata sint desideria tua. Merces preciosa vigilantem longanimum et expectatum negociatorem requirit. Ecce enim agricola expectat preciosum fructum terre pacienter ferens, donec accipiat temporaneum et serotinum, et ille quidem temporalem, tu spiritualem, ille corruptibilem, tu autem incorruptum. Pacientiam ergo habe et omnia dabuntur tibi, non perdes minimum capillum capitis tui, quia mercede non privaberis etiam pro minutissimo instanti, quo adventum pacis illius et gaudii decreveris in paciencia prestolari. Et quomodo non prestolaberis illum patientissime, cum de necessitate habeas virtutem facere? Necesse est iuxta ea que premissa sunt, a viro illo ad tempus te subducere. Subducas ergo te in leticia et exultacione; hylarem enim datorem diligit Deus. Ipse namque hilaris de necessitate virtutem facit, quia quod dari debemus precipit et dari necesse est, ipse prompto animo solvit et impendit. Vade ergo, anima mea, et fac tu similiter. Quod imperatur necesse est fieri; si non fit, penam habet; si voluntarie fit, habet gloriam. Vita ergo penam et acquire gloriam per obedienciam Gregorianam pro tempore suspendendam. Necessarium enim est, ut sic fiat. Porro si non esset necesse secundum debitum, esset tamen licitum secundum iusticiam; decet etiam secundum honestatem. Licet patri propter disciplinam filii sibi panem subtrahere, licet et filio pro disciplina patris obedienciam ei pro tempore denegare. Dicere enim debet ei: Non novi te. Et quid hac subtractione decencius? Speciosus forma pre filiis hominum corpus debet habere speciosissimum. Et quomodo est speciosum, si non unum vel unicum, sed duo habet capita, quasi monstrum? Ut hec decencia, hec honestas fiat in Christi corpore [fol. 130 v<sup>o</sup>] te uni homini subtrahere et decentissime es subtracta. Sed et expedit hoc secundum utilitatem. Expedit, ut unus moriatur homo pro populo et non tota gens pereat. De qua expediencia multa haberem loqui tibi, sed non

potes sufferre modo; longitudo huius utilitatis, multitudo huius expediencie, magnitudo huius materie et soliloquium nostrum mutuum,<sup>1)</sup> quod debet esse breve, iubent hic me quiescere, gradum sistere et finem scribendi facere, ut tibi sufficiant hec scripta modica, que scripsi sicut et omnia alia scripta mea correctioni [sic, correctione?] sancta Matris Ecclesie semper salva. De hiis autem, ad que hec mors viri unici expediret et esset utilis alio forsitan scribam tempore cooperante michi illius gracia, in cuius laudem, honorem et gloriam scribere et facere debeo universa, ipse est dominus Iesus Christus Virginis Marie et Dei Patris unigenitus, qui cum eodem Patre et Spiritu sancto suo vivit et regnat in secula benedictus Deus. Amen.

Explicit soliloquium scismatis.

---

**Korrigenda.** S. 35, Z. 11 lies: culminis; S. 37, Z. 32: re.; S. 38, Z. 31: exp. unum: est.; S. 40, Z. 6: eventus, S. 42, Z. 3: tendit; ibid. Z. 29: dici; S. 227, Z. 1; iam; S. 231, Z. 22: Gebenensis (recte); S. 233, Z. 32: Dic: interim; S. 234, Z. 28: iudicio; S. 235, Z. 9: sentenciam; S. 236, Z. 30: ex., talia; S. 237, Z. 20: tuas I.; S. 238, Z. 15: viventis.

---

## Die Reliquien des heiligen Bonifatius, Apostels der Deutschen, und seiner Martergefährten.

Von Dr. Bruder, Religionslehrer in Dieburg (Hessen).

(Schluß zu Heft II. 1905, S. 254—262.)

Hubertus,

durch Gottes Erbarmung und des heil. Apostolischen Stuhles Gnade  
Bischof von Paderborn,  
Administrator des Apostolischen Vikariats Anhalt, Päpstlicher  
Hausprälat, Doktor der Theologie.

Unter den Heiligen, denen die Stadt Erfurt als besonderen Schutzpatronen zu allen Zeiten große Ehre erwiesen hat, nehmen mit verdientem Recht den ersten Platz ein der hl. Eoban und Adelar, jener Bischof von Utrecht, dieser der erste Bischof von Erfurt, welche als Schüler des hl. Bonifatius und als seine unermüdlichen Genossen bei der Verkündigung des Evangeliums zugleich mit ihrem Lehrer im Lande der Friesen durch einen blutigen Tod die glorreiche Krone der Martyrer empfangen haben. Ihre Leiber wurden zuerst nach Mainz, darauf nach Erfurt über-

---

<sup>1)</sup> »Mut.« Korrektur.